




DESCRIPTIONIS
INDIÆ OCCIDENTALIS,
LIBER TERTIUS.

VIRGINIA.

INTRODUCTIO.

NOVAE FRANCIAE quam superiori libro absolvimus, contermina est Americæ Septentrionalis pars, intra trigesimum quartum & quadragesimum quartum gradum Septentrionalis latitudinis conclusa: versus ortum Magno Oceano, versus Austrum Floride provinciis, versus Arctum Nova Francia terminata, longis & incertis spaciis in occidentem patens & adhuc leviter intra continentem cognita: quam Angli vulgo communi nomine Virginiam appellant: Superiori autem seculo 100 Virginia longe angustioribus terminis continebatur, quippe illam tantum regionem complectens, que Floridae proxima eamque immediate contingens, à fortissimo Equite Walthero Ralego, anno 1515 1xxxiv & aliquor subsequentibus primum adiri & ab Anglis, aliquor coloniis eo deductis, colicæpit, & paulo post iterum fuit deserta: Verum quum anno 1515 cvi post privilegium à Magnæ Britanniæ Rege certæ Nobilium & mercatorum Societati, indulto; novæ expeditiones in Septentrionaliorem hujus Continentis partem suscepitæ, ad latitudinem nempe septem & triginta gradum & paulum ultra, tota hæc regio que à trigesimo tertio 20 aut quarto gradu ad trigesimum octovum secus mare porrigitur, Virginix quoque nomine cæpit celebrari. Reliquum Continentis ad limites Novæ Franciae usque, Primum qua Virginie huic contiguum est & jam ab aliquor annis a Belgis nostris lustratum fuit & sub auspiciis Illustr. & Præpotentum D. D. Ordinum confederati Belgii etiam habitatum, Novum Belgium jam vocamus; Dein qua Novam Franciam proprius contingit & ab una atque altera Anglorum colonia fuit occupatum, Nova Anglia admodum nuper cæpit appellari. Hisce itaque nominibus in hac nostra descriptione utemur; initium autem faciemus a Nova Anglia, utpote 30 Novæ Franciae ad Arctum proxima; de hac quidem jam multa superiori libro è Gallorum (qui non exiguam illius partem sui juris esse autemant) observationibus commemoravimus; sed hic jam Anglorum ductum sequemur & præsertim Joannis Smithi, qui ante paucos annos commentarium suum de Nova Anglia suo idiomate dedit in lucem; verum ne quicquam hic consulto præterisse videamur; in ipso limine Ioannis Verazzani Florentini navigationem præmittemus, qui auspiciis atque impensis Francorum Regis, inter primos aut forte primus has oras lustravit.

*Navigatio Joannis Verazzani ad Continentem Americæ
Septentrionalis.*



R A N C I S C U S I Franc. Rex, prosperis Hispanorum ad Insulas & Americæ continentem expeditiōnibus, permotus, Joannem Verazzanum Florentinum, cum una navi, qua quinquaginta navales socii vehebantur, ad Septentrionalis Americæ partes lustrandas ablegat. Is anno cīo iō xxīv mense Ianuariō ab Insulis Canariis solvens & primo cursum recta in occidentem dirigens, aura ab oriente prosperè afflante, viginti quinque dierum spacio, circiter quingentas leucas enavigavit; horrenda dein tempestas illum supra modum afflixit; qua remittenente, cursum nonnihil versus Septentrionem flexit & post totidem dierum navigationem, novas conspexit terras, ad latitudinem triginta quatuor graduum ab æquatore versus Arctum, littoribus inter Austrum & Septentriones productis. Solum juxta littora plānum erat & pelago pene æquale; itaque nullum portum & ipsam oram ventis expositam conspicatus, aliquot leucas primō versus Austrum, deinde & versus Arctum littora legit, ut portum investigaret; quumque in eo frustra fuisset, in patenti mari anchoras figere & scapham exponere jussit: Interim barbari, rei novitate percūsi, magno numero ad littus accurrere, & Gallis appropinquantibus, nunc fuga se subducere, nunc admirabundi retrospicere, tandem securitate promissa, paulum confirmati gradum sistunt & advenas humaniter excipiunt. Pudenda exigua pelle tecti, cætera nudi agebant, colore subfuscō, nigris capillis, artubus bene compositis & sine ulla insigni deformitate. Littus arenosum in modicos tumulos assurgebat, regio ipsa mediocriter alta & proceris arboribus undique vestita erat: venti æstate potissimum ab occidente aut Coro flantes: sudum cœlum; raræ admodum pluviæ. Sublatis deinde anchoris, oræ ductum secutus, pri- 3° mo ad ortum cursum dirigit, mox littoribus retrocedentibus, versus Septentrionem: atque hic rursus exscensione facta, solum longe amœnus deprehendit, vitesque paſſim ad fastigia arborum scandentes, & haud dubio frugiferas, si cultura accederet: barbaros prioribus omnino similes.

Centum circiter millaria (ut ipſi viſum) ab hoc loco pulcherrimus amnis in oceānum effluēbat, à quo rursus ora quinquaginta millaria versus ortum convertebatur, donec ad Insulam quandam perventum eſſet, triangulari formā, quæ decem millaria à continentī videbatur disjuncta, & in nemorosa juga conſurgebat, quam *Clau-diam* appellarunt. Porro quindecim ab hac millaria proiecti portum subjerunt ad altitudinem unius & quadraginta graduum & xl scrupul. cuius fauces austro expo- 4° fitæ, medium milliare patebant, intus lateribus utrimque recedentibus in modum freti, pene viginti millaria ambitu suo capit & versus boream ad duodecim millaria in longitudinem porrigitur, aliquot minores insulas arboriferas & mire delectabiles interluens. Ab accolis satis humaniter hic sunt accepti: Regulus illorum cervina pelle induebatur, æs ipſis notum erat & in precio.

Hinc ora, editior multo, ad orientem flebatur pene quinquaginta millaria: rursusque versus Arctum recedebat, sed hīc populus vere barbarus & immanis moribus, nullis rationibus ad mutuum congreſsum aut colloquium adduci poterat: Urſorum, lutrarum & phocarum pellibus tecti, vitam piscibus & ferina tolerare visi, nulla frumenti notitia, nulla ferendi cura: ipsumque solum illorum quæ seruntur maligne 5° patiens, immanes ubique saltus & montes, & æris aliorumque metallorum haud obscura indicia.

De hinc cursu versus Aquilonem dirigentes, supra triginta insulas, multa promontoria, plures recessus, amplissimos sinus, portusque prætervecti, ad terram jam ante à Britonibus lustratam & quinquagesimum latitudinis Septentrionalis gradum perve-

dum pervenerunt, & velis versis in Galliam mense Julio incolumes redierunt. Atque hæc ex ipsius *Verazzani* ad Regem litteris compendio à nobis excerpta ab hodierna littorum descriptione & gentium moribus parum discrepant: nunc ad ea quæ nuper ab Anglis, nostrisque observata sunt, veniamus.

N O V A A N G L I A .

C A P . II.

Descriptio Continentis Americæ septentrionalis quæ hodie N O V A A N-
10 *G L I A dicitur, è commentario Ioannis Smithi.*

Septentrionalis quidem Americæ pars (inquit) quam hodie *Novam Angliam* vocamus, intra quadragesimum primum & quintum latitudinis gradum inter-
20 jacet; verum de qua nunc proposui dicere, à flumine *Pennobscot* ad promonto-
rium *Cod*, recta fere linea, septuaginta milliaria patet & ad minimum quadraginta
barbarorum pagis juxta littus incolitur: viginti quinque hic portus à me lustrati,
quorum nonnullos quingentorum, quosdam etiam aliquot millium navigiorum
capaces puto: ducentæ aut plures insulæ Continenti objectæ sunt, quæ plures por-
tus faciunt, quam brevi tempore à me commode lustrari potuerint. Præcipua
quidem barbarorum habitatio est juxta *Pennobscot* versus septentrionem: ad austrum
vero, oram secus, *Macadacut*, *Segocket*, *Pemmaquid* *Nusconcus*, *Kenabec*, *Sagadahoc*,
Aumoughcawgen: hic populi *Segetago*, *Pahtiuntanuck*, *Pocopassum*, *Taughtanakagnet*,
Wabiggan, *Nassaue*, *Mashecosqueck*, *Wawrigweck*, *Moshoquen*, *Wackcogo*, *Passaranack*, de-
gunt, & illorum confæderati *Aucocisco*, *Accominticus*, *Passataquac*, *Aggoowan* & *Naemkek*:
qui omnes perparum dialecto & moribus inter se differunt: & licet in varias provin-
cias & peculiaria Dominia distinguantur, tamen *Bessabee*s qui ad ripas fluminis *Pen-
nobscot* degunt, ultro primas deferunt. *Mattahuntii* duas insulas incolunt, haud ul-
tra milliare à Continenti disjunctas, & variis hortis, arvisque supra modum amœnas.

Massachuseterum gens longe populosior, lingua, moribus & commerciorum
usu, multum à cæteris barbaris diversa; pagos supra viginti cum suis pascuis & arvis
possident; multos amnes accolunt, variosque in mediterraneis lacus, juxta quos
potissimum castores & lutras venantur.

Ora quæ à *Pennobscot* ad *Sagadahoc* pertinet, in juga attollitur, multæ hic insulæ
atque scopuli objacent; sylvæ frequentes largam materiem ad domorum & navium
structuram subministrant; mare valde piscosum; solum uberrimum, & multis fructi-
bus ad usum hominum comparatis, per se fætum.

Massachuseterum autem provincia soli ubertate cæteris longe præcellens, nunc in
modicos colles assurgit, nunc in amœnas valles subsidet; solum arenosum nonnum-
quam, ubere interdum gleba & saxorum venis intercurrentibus, humano cultui mi-
40 rum in modum apta, nec *Devoniæ* nostræ dissimilis: promittit & metalla præsertim
ferri & chalybis: ausim asserere, decem aut quatuordecim milliar. spacio, [quæcunq;
ad naves fabricandas & easdem commeatu & mercibus onerandas necessaria sunt,
abunde posse comparari. Nam qui soli ubertatem, tot arva, tot hortos; tam proceras
arbores & imprimis salubre cæli temperamentum, indigenarum robur, agilitatem, &
sanitatem ad animum revocaverit, haud aliter poterit judicare, quam hanc regionem
cæli solique bonitate cum laudatissimis Europæ merito posse comparari. Licet enim
hic & æstas minus ferveat & hyems magis algeat, quam vulgo in Europa sub eodem
clymate, non minus tamen semina & feliciter pullulant & cito adolescunt. Piscium
captura hic imprimis dives, atque ex hac prima emolumenta capienda forent. Mense
50 Martio, Aprili, Maio & parte Junii, maxima asellorum majorum copia, Maio au-
tem, Junio, Julio ac Augusto accipenserum, quin & halecum incredibilis multitudo
juxta hæc littora capit: quid multa; omnibus anni tempestatibus piscosum est mare.
Neq; dubium est quin salinæ commode & utiliter hic fieri possent; Et è certis baccis,
quas *Alkermes* vocant, præsens emolumentum à mercatoribus percipi: Earum enim
libra aliquando in Anglia triginta atque etiam quadraginta solidis sterlingensibus
veniit, licet nunc multo viliores sint: Castorum præterea, lutarum, martium five

mustelarum Scythicarum, nigrarum vulpium & similiū ferarum pelles, magno numero & vili à barbaris redimi: (Gallos quidem anno cI^o I^o cxvi supra viginti quinque millia ejusmodi pellum è N. Francia Europæ intulisse satis constat.) Et ut harum regionum dotes semel absolvamus, aquæ fluminum limpidissimæ & potari pulcherrimæ, ut pote quæ ex petrosis montibus descendant. Solum abunde & sua sponte varias arbores, variosque fructus producit, moros imprimis, juglandes, avellanas, prunos, vites, rubos idæos, uvas crispas, fraga: è seminibus autem ppones, phaseolos, pisa & Maizium: lini quoque speciem, è quo indigenæ retia sua nectunt. Nulla denique regio plures aves aut majorem variorum quadrupedum copiam nutrit.

10

C A P. III.

Particularior ejusdem Continentis descriptio ex eodem.

Pennob-
scot.

SInus *Pennobscot*, in quem fluvius ejusdem nominis descendit, decem millaria ab ortu in occasum, totidem ab Austro in Arctum patet: multis insulis divisus, quarum quædam decem millaria longæ, varios sinus & portus aperiunt. Versus ortum *Tarentini* incolunt, Gallorum confæderati, quibus juges inimicitæ & bella cum *Bessabeis*, qui ex adverso degunt. Ad levam *Meccadacut* jacet ad radices montium, quos æquor lambit, qui tam altis jugis affurgunt ut sedecim aut xviii milliarum intervallo eminus à navigantibus conspiciantur. Sinui objacet insula *Sorisco*, præalta situ, ideoque Gallis *Isle Haute* dicta. Huic proximus est locus *Segochet*, deinde *Nusconcus*, *Pemmakid* & denique ad eandem oram amnis *Sagadahoc*: ad quem olim colonia Anglorum fuit deducta: juxta hunc *Aumukiaogeni*, *Kinnebeyk* & alii barbari sedes suas atque arva habent. Fluvius hic quadraginta aut quinquaginta millaria è Continenti descendit, ripæ utrimque arenosis tumulis & nemorosis rupibus obsessæ, præterquam ubi barbari accolunt, ibi enim solum est satis fertile & pinguis gleba.

Aucocis-
co.Sovvo-
cotuck.

Ab hoc versus occasum provincia. *Aucocisco* amplissimi sinus gremio prætenditur, multæque insulæ cum suis portubus per sinum sunt sparsæ. Haud longe hinc *Sowocotuck* ad angulum Continentis, qui latum sinum aperit, arenoso quidem littore, sed crebris insulis & cautibus illi objectis, aditu difficilem & non nisi minoribus navigiis. Quid multa? tota hæc ora à *Pennobscot* huc usque & longius à *Pennobscot* versus ortum, ejusmodi rupibus & faxosis insulis scatet ut mirum sit tam procerarum arborum feracem esse, neque quicquam hic est quod intuentes non magis deterreat, quam afficiat: tamen mare hic, si usquam, mire piscosum, & hæc insulæ tot arboribus amœna, tot fontibus riguæ, tam variis fructibus dites, tantaque hæc avium copia, ut non careat fide, licet littora tam aspera sint, tamen convalles & interiora Continentis fæcundissimo esse solo.

Acco-
minicus

Angoam.

Littus versus occasum sequentibus *Accominticus* & *Passataquak* occurunt, modici portus & minoribus navigiis opportuni, & juxta littus fertile solum. His proxima est *Angoam*, provincia satis amœna, sed portus illius propter brevia navigantibus infidus est, & sinus ab alto mari remotior: multi hic colles modice consurgunt, qui à barbaris coluntur. Versus ortum insula objacet, duo aut tria millaria in longitudinem patens, media sui parte pascua & lætissimi graminis ferax, reliqua nemorosa & pulcherrimis moris opaca, coloniæ deducendæ valde idonea, præsertim propter tutissimum portum. *Naimkeck* solo licet petrosoire, tamen *Angoam* non multum est inferior, incolæ deteriores.

Traga-
bigzanda.

Paulo ulterius insigne Promontorium *Trabigzanda* vaste in altum se projicit (Champlanio *S. Ludovici*, nostris *Wyngaerdshoeck*), cui tres insulæ objacent quas vulgo Turcarum capita appellant, versus septentrionem latum sinum pandens, juxtaque multi barbarorum pagi jacent, cum suis arvis, qui cum Gallis commercia exercent: ad occasum autem insulæ adjacent *Mattahuntiorum* cum suis stationibus.

Hoc promontorium prætervectis *Massachusettorum* provincia occurrit, quam hujus tractus Paradisum haud immerito dixeris, arva hæc frugum feracia pene innumera, & littora

40

littora stringentibus, vix aliud sese offert amoenius aut fæcundius: barbari frequentes & cum Gallis commercia exercere sueti; ingenio satis placido, sed si irritentur, etiam fero & indomito. Hinc ad *Accomack* navigatur, egregium portum & fertile solum, segnitie tamen gentis obscurum.

Hunc prætervectos Promontorium *Cod* accipit (Gall. *Cap Blanc,*) terræ tantum veluti cornu, in præaltos arenarum tumulos & humilibus pinorum fruticetis vestitos, assurgens; & pone ipsum portus, adversus incerta ventorum egregie tutus: Promontorium ipsum ab uno latere patenti sinu, ab altero vasto oceano cingitur, falcis messoriæ formâ: *Pawmetti* barbari promontorii cervicem, sinus gremium *Chawuni* accolunt: ora quæ grandem sinum cingit, nullis quidem brevibus aut rupibus impedita est, vadosior tamen quam ut majoribus naviis proprius adiri possit. *Champlanius* hic portum à se observatum in commentarios retulit, quem *port aux Huistres* ab ostreorum abundantia vocat, quinque milliaria ab hoc promontorio versus Africum. In interiori sinu *Nausit* Insula jacet; ad continentem provincia *Capawack*, late patens & frumenti feracissima, habitatoribus frequens, & si barbaris fides, in mediterraneis æris aliorumque metallorum venis scatens.

C. Cod.

Nansit
Insula.

C A P . IV .

Res ab Anglis in hisce partibus gestæ ab anno cI cI c VI.

20

Anno demum cI cI cVI hæc regio quam modo descripsimus, ab Anglis publica autoritate adiri cœpit: privilegio à Iacobo magnæ Britanniæ Rege certis Nobilium & mercatorum societatibus indulto, colonias in utramque continentis partem deducendi: quibus diserte cautum erat, ut centum milliaria inter utriusque societatis limites vacua relinquenterentur, neque proprius se mutuo contingent.

1606

Ad septentrionaliores partes primo missus *Henricus Chalonius*, ab Hispanis fuit interceptus: & eodem pene tempore sumtu Joannis Pophami summi totius Angliae Justitiarii, *Thomas Hamanus*; qui Chalonio subsidio missus ad flumen *Sagadahoc*, quum ipsum non invenisset, oram lustrasse contentus in Angliam rediit. Deinde anno cI cI cVII ejusdem Pophami auspiciis centum agricolæ in coloniam ad *Sagadahoc* traduci, in Peninsula quæ ostio hujus fluminis adjacet sedes fixerunt & munimentum excitarunt ad hostiles insultus sustinendos, *S. Georgii* nomine: *Coloniae* præterat *Georgius Pophamus*, rei nauticæ *Ralegus Gilberti*. Flumen ipsum lustrare aggressis, catarractes, juxta insulam quandam amnicam occurrit, quem tamen haud difficulter superarunt; & mox alter, ubi aqua cum tanta violentia ruit, ut ulterius ascendere neutiquam potuerint; distabat hic locus ab Æquatore quinque & quadraginta gradus & aliquot scrupul. quum ostium ipsius fluminis tantum absit tres & quadraginta gradus, & xxx scrupul. ripæ utrimque in arenosos tumulos modice assurgunt; solum non est admodum fertile, nemorosum tamen & quercubus egregie vestitum.

1607

Indigenæ ceterorum barbarorum moribus agunt & singulis pene mensibus à maligno spiritu miserum in modum vexantur, quem *Tanto* vocant, magisque metuunt quam venerantur; dum Angli hic degerent, visi sunt Christianorum ritibus & religione nonnihil affici, nam Regem Iacobum, illiusque Deum, bonum, suum vero *Tanto* malum profitebanrur. Verum quum Praeses coloniarum mense Februario anni cI cI cVIII & paulo post summus Iustitiarius (qui sumtus hactenus præcipue sustinuerat) diem suum obiissent, coloni cum navibus, quæ ipsis subsidio missæ fuerant, colonia deserta, in Angliam redierunt; quorum inopinatum redditum Patroni tam inique tulerunt, ut incepto aliquandiu defisterent. Galli interim, (hac occasione usi, an sponte sua,) variis locis coloniarum fundamenta jecerant, quum *Argallus* è Virginia superveniens opera illorum disturbavit, colonias evertit, & quos deprehendere potuit, captivos abduxit, ut libro superiore à nobis narratum. Angli dein majore conatu *Hobsonum* & alios mittunt, unaque duos barbaros, qui in Anglia aliquandiu hæserant, ut gentem sibi devincirent & hisce interpretibus uterentur: verum quum paulo ante eorum adventum, Anglus quidam nomine *Huntus*, vigintiquatuor barbaros, post commercia cum ipsis exercita, in navem suam specie amicitiaz illectos, perfide abduxisset,

1608

duxisset, & Hispanis in freto Gaditano (ut postea apparuit) vendidisset, barbari tanto odio in Anglos exarserant, ut Hobsonus voti irritus reverti fuerit coactus.

Deinceps anno cIɔ Iɔ cxiv missus *Ioannes Smithus* (ut balænas caperet & auri atque argenti metalla scrutaretur) ad Insulam *Monnabiggan*, quadraginta tribus grad. & semisse ab æquatore, applicuit; cete quidem repperit, sed non ejus generis è quorum aruina oleum utiliter excoquitur; metalla autem nulla; itaque & hic frustra fuit. Anno vero cIɔ Iɔ cxv jam secundo hic missus, in Gallicos piratas incidit, qui illum aliquandiu captivum detinuerunt. Interca quum forte fortuna unus eorum, quos *Huntus* (ut supra) vendiderat, in Anglorum potestatem rediisset, nova spes affulgere visa, novoque diplomate à Rege, licet ægre, impetrato, alia colonia paulo 10 post deducta, de qua statim dicemus.

C A P . V.

Novæ Angliæ Cæli solique qualitates ex commentariis anno cIɔ Iɔcxxxii ab ipsa societate editis.

Antequam prosequar ea quæ post novum diploma à Rege impetratum Angli in hisce partibus gesserunt, non abs re fuerit hic præmittere, quæ ab illis prodita de Novæ Angliæ dotibus; quæque in communi de Coloniarum colloca-
tione utiliter observarunt. 20

In loco, coloniæ ad partes transmarinas deducendæ, idoneo seligendo (inquiunt) trium potissimum rationem habere oportet: primo Cæli, ut colonorum valetudini consulatur: deinde soli, ut eorum quæ ad victum necessaria sunt, copia facile haberi possit: denique Maris; ut naviis, ad commercia exercenda, facilis aditus pateat. Cæli autem qualitas aut ratione Clymatis in communi aut peculiariter ex ipsius loci situ atque habitu variat. Porro hæc in Nova Anglia ad hunc modum se habent. Hanc quum sita sit in medio pene temperatæ zonæ & æquali intervallø ab Arctico Circulo & Tropico Cancri, eandem aëris temperiem experiri oportebat, qua Gallia gaudet atque adeo qua bona pars Italix: verum contra accidit, nam qua mare contingit, aër multo frigidior est, idque partim ob oceani (uti videtur) vicinitatem, cuius jugis & 30 inconstans motus radiorum solarium reflexum frangit: partim ob vaporum ascendentium copiam qui æstum mitigant: mediterraneæ autem regiones mediocriter calent; certisque experimentis comprobatum est, easdem regiones longe frigidiores esse qua ascendentem solem spectant, quam qua descendenter; aurasque vespertinas multo tepidiores quam matutinas experiri. Quæ quum ita se habeant, temperies cæli in hisce regionibus nostrorum hominum corporibus supra modum videtur apta, quæ temperato admodum Clymati sueta neque intensum frigus ferre possunt, neque immodicum æstum.

Solum porro imprimis est fertile, & non modo illius frumenti, quod barbari se-rere consueverunt, sed & quod nostri intulerunt, egregie ferax. Portuosum autem est 40 littus & quamplurimis insulis ubique obsitum, quæ habitationi peridoneæ, nemorosæ & quercubus, cedris, piceis, pinis, juglandibus, castaneis, sassafris, prunis, calamis aromaticis, aliisque grata varietate amœne vestitæ sunt. Indigenæ moribus utcunque compositis, & si bene cum ipsis agatur, humani & hospitales. Mare ad ipsa littora piscibus fætum & salinis peropportunum. Avium in mediterraneis ingens copia & varietas; Pavones indici, perdices, cygni, grues, anseres, anates, columbae, præ-sertim quum fraga maturescere incipiunt. Cervorum & similiū ferarum ingens nu-
merus, quæ nonnumquam tres quatuorve fætus gignunt, insigni indicio cæli solique bonitatis.

Peculiaris autem quadrupedum species hisce regionibus frequens est, barbari *Moffe* 50 appellant, tauri magnitudine, capite damæ & latis cornibus, quæ quotannis mutant, cervice cervina, brevibus jubis & à collo per dorsum descendantibus, pilis prolixis instar alcis, cum ingluvie pendula sub ipso jugulo, longis cruribus, magnis pedibus instar vaccarum, cauda longiore quam sit damarum; caro ejus admodum grati est saporis, quam ad ventum siccatam barbari diu servant: cutis haud minus crassa quam bubalorum nec minus ad varia utilis. Magna horum animalium copia reperitur in Insula
haud

haud longe à Continente dissipata (*Mount Mansel* vocant Angli) ubi barbari illa venantur in hunc modum; postquam diversis locis pyras accenderint, saltus indagine cingunt & feras in mare, ad quod & naturæ instinctu feruntur, propellunt; dein cymbulis suis adnavigantes, in ipsis fluctibus obruunt & maestant: haud dubium autem est feram hanc ad ministeria humana cicurari posse, si industria & diligentia adhiberetur. Porro è quibus utilitas & lucrum per commercia hauriri possit, hæc fere sunt: pisces varii generis; preciosæ pelles castorum, lutrarum, nigrarum vulpium, mustelarum scythicarum & similium: cannabis, linum, ferri metallæ; afferes, trabes, omnisque generis materies: quibus addi potest vitium, quæ hic variæ & frequentes, cultura; & picem duram atque liquidam conficiendi summa opportunitas: denique nihil sive è Gallia sive è Germania per fretum Danicum ad nos defertur, quod non hic industria & levi labore parari possit. Quibus accedit haud levius unionum inveniendarum spes; & Ambar griseum nonnumquam circa hæc littora deprehensum. Denique facilis & compendiosa est ad has regiones navigatio & Angliæ maxime opportuna. Atque hæc quidem illi in commentario anno 1522 edito.

C A P . VI .

Nova Pleymoutha, colonia ab Anglis hoc deducta.

Anno 1522 Colonii aliquot in Anglia conscripti, qui è Pleymoutha notissimo Angliæ portu serius atque adeo initio Septembribus solventes, & nono demum Novembribus Promontorium *Cod* prætervecti, quum, vento adversante, portum quem petebant, decem milliaria à promontorio dissipatum, tenere non possent, in amplissimo sinu, quem promontorii flexus claudit, anchoras fixerunt. Hic in terram exscendentes & locum habitationi commodum circumspicientes, primum tuguria aliquot deserta invenerunt; dein ulterius progressi, à barbaris inopinato fuerunt oppugnati, quos nulla opera fugarunt. Verum quum loca hæc haud satis placerent, xvi Decembribus alium portum ex adverso Promontorii versus occidentem petierunt. Est autem sinus præcedenti longe amplior, amoenissimo solo undiquaque cinctus, duas insulas nemoras, cætera incultas & desertas suo gremio complectens, piscosus admodum, & variis aquatilium avium generibus pro tempestatum ratione scatens. Nulli hic incolæ ab ipsis inventi, licet arva olim culta & sata fuisse apparet; nulli navigabiles amnes visi, sed plures rivi & torrentes limpidæ aquæ & potari pulcherrimæ. Solum hic mire fœcundum est multis in locis, nonnullis etiam arenosum; sicuti & figulinæ operæ idonea gleba: per amæni passim luci ac nemora & herbida rursus pascua & campi.

Juxta hunc sinum in ipsa Continente Nova *Pleymoutha* ab ipsis designata, in acclivi solo & jam olim à barbaris culto: in una convalle torrens labitur, scapharum & cymbarum tantum patiens: multæque scaturigines & fontes passim rigant solum. Familiaæ omnino novemdecim huc primum deductæ; ædesque ita structæ ut duplice ordine ex adverso sibi responderent, quo securius agerent & sibi mutuo opitulari possent. Hyeme jam pene exacta, mense Martio, venit ad illos barbarus quidam *Samoset* nomine, & consuetudine Anglorum, qui piscandi gratia insulam *Monahiggan* accedunt, Angli idiomatis nonnihil gnarus, à quo tum primum didicerunt, regionem ubi sedes fixerant *Patuxet* barbaris appellari, jamque quadriennium esse ex quo incolæ ad unum omnes inusitata quadam plaga interierint: huic territorio proximos agere *Massasoitos*, qui haud supra sexaginta viros ad bellum mittere possint: ad Eurum autem *Nausitos* habitare, qui circiter centum censeantur, atque hos quidem Anglis valde infensos esse ob *Hunti* illius facinus, de quo supra. Nec multo post advenit *Massasoitus* vicinarum provinciarum Regulus (*Sagamos* barbaris) cum fratre suo *Quadequina* & plurimis aliis barbaris, qui fædus cum ipsis sanxit.

Pley-
moutha
Nova.

Atque hæc quidem Novæ Pleymouthæ prima fundamenta fuerunt, quæ post illa novorum Colonorum accessu incrementum cepit: quæ ab Anglicis scriptoribus peculiaribus commentariis narrata, hic compendio retuli, cætera iis quorum interest relinquens. Hoc tantum addam, primos hosce colonos, uti & illos qui postea accesserunt, potissimum aut omnino fuisse ex eorum hominum sectâ, quos in Anglia vulgo

Brou-

Brounistas & Puritanos vocant, quales non pauci & in Belgium superioribus annis se receperunt, & hinc ad socios sunt profecti.

NOVUM BELGIUM

C A P. VII.

*Descriptio Continentis Americæ septentrionalis à Belgis nostris
primum penitus lustratae & habitatae.*

HAcenus absoluimus eam septentrionalis Americæ partem, quam Galli quidem primum lustrarunt & coloniis deductis aliquandiu possederunt; Anglia autem nuper novis nominibus *Scotia* atque *Anglia* insignitam occupare & sui juris facere sunt aggressi: atque hanc quidem præcedenti libro secundum oram maris legimus ad promontorium usque, quod Galli *cap Malebarre* vocant, superioribus vero capitibus ob nuperas Anglorum observationes, relegimus ad promontorium *Cod* usque. A Promontorio ergo *Malebarre* (ut inde ordiamur) continens magno flexu se versus occasum subducit, & veluti sinum facit, in cuius intimum recessum, vastum flumen sese exonerat in mare, à cuius æstuario rursus versus Africum cubito curvatur: hanc autem partem Continentis & plures insulas eidem objectas, inde à trigésimo octavo gradu & xxx scrupulis (ubi alterum itidem flumen exit) ad quadragésimum quartum gradum & ultra in mediterraneis, *Novum Belgium* hodie appellamus, quia primum auspiciis & sumitibus nostrorum hæc terra penitus lustrati cœpit, deinde continuis navigationibus frequentata & authoritate Illustriss. & præpotentum D. D. Ordinum generalium Confœderati Belgii, colonia deducta & castello in barbarorum solo, ipsis ultro concedentibus, exstructo, primum à Belgis cultum accepit. Iam ante quidem littorum flexus ab aliis nationibus fuerat observatus, ora etiam maritima ex alto visa & haud procul à promontorio Malebarre adita fuerat, sed nulli, quod quidem constat, in intimo hujus cubiti flexu, vastum & magnorum navigatorum ferax flumen sese evoluere & à tam multis & diversis populis habitari, observaverant; antequam anno 1609 id à Belgis nostris deprehenderetur. Societas quippe Indiæ orientalis, *Henricum Hudsonum* Anglum cum celoce miserat versus aquilonares Americæ regiones, ut aditum ad Tartariam & Sinenses aperiret; quod quum frustra tentasset, mutato cursu novam Franciam primum adiavit ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum & quindecim scrupul. Deinde versus Africum flectens ad altitudinem quadraginta & unius grad. & XLIII scrupul. terram conspexit, & Insulam opinatus, *Novam Hollandiam* nominavit, verum partem esse Continentis, atque adeo promontorium *Blancum* sive *Cod*, paulo post patuit, & subducta cursuum ratione ab ipsis judicatum, promontorium hoc circiter septuaginta & quinq; millaria magis ad occasum remotum esse ab Europæis regionibus, quam vulgo in hydrographicis tabulis describatur. Porro postquam oram maritimam variis locis conspexissent, inde à trigésimo septimo gradu (hucusque enim ad Austrum inviti an sponte declinaverant) ad quadragésimum usque littorum ductum secuti, sinum amplum adierunt & pone humile & arenosum cornu anchoras fixerunt: duo h̄c barbari alcium pellibus amicti illos visitarunt & satis humaniter excepérunt: aditaque Continenti, pruna cœrulea jam matura ab illis lecta; pulcherrimæque querqus, populi, aliaque arbores passim ab ipsis conspectæ. Dein sublati anchoris flumen ipsum subjerunt & ad quadragésimum tertium gradum latitudinis septentrionalis ascenderunt, ubi alveus jam angustior & vadosior majora navigia haud amplius sustinet, indubio signis patuit numquam ante illum diem Europæos aut flumen ingressos aut hucusque ascendisse. Quare quum Hudsonus cum celoce sua Amstelodamum sub finem Autumni rediisset, & quæ de hoc flumine compererat (quod à barbarorum, qui fauces illius accolunt, nomine *Manhatten* appellaverat) edisserisset, statim anno 1610 mercatores quidam Amstelodamenses, eo navem cum variis mercibus destinarunt: & diplomate ab Illust. D. Ordinibus confœderati Belgii impetrato, quo ipsis solis hoc flumen & vicinas regiones commerciorum gratia adire permittebatur, sequentibus annis hic cum barbaris commercia exercita fuerunt & à nostris quoque

quoque hibernatum: demumque anno c¹o c¹xv munimentum auspiciis eorumdem D. D. Ordinum hic structum & præsidio militum aliquandiu servatum, ut paulo post dicemus. Hisce initiis huic Continentis septentrionalis parti N o v i B E L G I I nomen quæsumum, hodieque perennat. 1615.

C A P . VIII .

Particularis Novi Belgii descriptio secundum ore illius ductum.

O RA Continentis, uti jam diximus, à promontorio *Malebarre* sese flectit versus occasum, multis insulis passim objectis, ipsoq; continentis littore tot recessibus sinibusque inciso, ut ambiguum pene sit, utrum Insulæ an continentis nomen mereatur & in eo autores varient. Superato hoc Promontorio statim ad ipsum littoris flexum insula parvula objacet, duo millaria à continéte, nec supra milliare longa, quæ *Petockenock* appellari volunt. Illi ad occasum vicina est *Insula oblonga* & ampla quam nostrates ob similitudinem quandam *Texeliam* dixerunt: huic vero versus Africum, non nisi unius aut alterius milliaris intervallo alia minor adjacet, quam nostri à primo inventore *Henrici Christiani* Insulam appellant; Angli autem *Vineam Marthæ* videntur appellare, ad latitudinem unius & quadraginta graduum & xv scrupulor. Quinque millaria ambitu complecti produnt, arboribus passim vestitam, avium copia amœbam & pescationi peropportunam. Continentem versus modico intervallo sequitur parva insula, quam à re ipsa *Douera* scopulum dixerent, & unius milliaris intercedente *Insula Elisabethæ* ad latitudinem unius & quadraginta graduum & x scrupul. in media stagnum jacet aquæ potabilis, inque eo extans scopulus, quem Angli munire aliquando aggressi, rursus deseruerunt. Extima Insularum est quam *Navarchus Adria-nus Block* de suo nomine appellavit.

Sed ad Continentem revertamur: hic primum se pandit sinus (quem nonnulli etiam fluvium vocant) *Nassovio* nomine clarus, duo millaria nostrata in ipso aditu patens, & variis insulis interjectis, octo circiter continentis sese insinuans, subinde angustior & in conum desinens, alveo quatuor, quinque & interdum novem orgyas alto, præterquam in intimo gremio, ubi vadosior est. Solo amœno & fertili ambitur, quod à validis barbaris habitatur, qui aditu difficiliores sunt, utpote commerciis advenarum nondum assuefacti. Ab Occidentali hujus sinus ostio septem millaria littus legentibus versus Occidentem, alter sinus occurrit, ab Insula in ipsis fauibus divisus, ideoque binominis, nam fauces quæ ortum spectant ab Anchoris, quæ occasum, à Cymbis nomen meruerunt: barbari qui hunc sinum circumfident *Wapenokes* dicuntur; licet ab aliis, *Nalucanos* occidentale sinus latus tenere, proditum sit. Hunc octo millaria aut circiter prætervectos amplissimus sinus excipit, quem longus terrarum ductus seu potius Insulæ multis alveis intercisæ & ad ostium usque magni fluminis in longum extensæ, claudunt; multæ quoque Insulæ minores per sinum sparsæ, necdum 40 peculiaribus nominibus notæ, quæ navigantes pro arbitrio mutant. Hunc sinum ingressos ad dextram *Angulus* continentis accipit incuruus instar falcis, pone quem sinus exiguis amniculum recipit tenuem, qui ab Oriente descendit, à quo & nomen apud nostrates hausit. Sequitur ad eandem plagam alter fluviolus, quem à barbarorum Reguli nomine *Siccanamos* indigitarunt: statio h̄ic percommoda; pone promontoriolum alveus fluvioli tenuis, haud supra quinque aut sex millaria ascendi potest; Salmones hic capiuntur; barbari *Pequatoes* accolunt, quibus juges cum *Wapenokis* ini-micitæ. Hinc ora paulum versus Africum reflectitur, eamque legentibus obvius fit amnis *Frisius* à nostris nominatus, ubi commercia cum barbaris *Morhicanis* exercentur. Huic ad eandem oram proximus est amnis, quem nostri dulcem, De Ver-50 sche Rievere, vocant, vadosus in ipsis fauibus & alveo ipso exilis, ita ut ægre minoribus navigiis ascendi possit; rariss barbaris juxta mare accolitur, in mediterraneis primo *Sequini* degunt, quindecim millaria à littore. deinde *Navasij* qui terram collunt & Maizium serunt, panesque ex illo coctos suo idiomate *Leganick* vocant, ii Anno c¹o c¹xiv se palis, castri in modum, adversus hostiles incursus muniverant, ad altitudinem unius & quadraginta graduum & xlviii scrupul. uti à nostratis observatum inveni: ulterius *Horikani* degunt, qui hunc flumen, cymbulis è corti-cibus

cibus arborum barbaro artificio consutis, solent descendere. Ab hoc fluviolo ad occasum tendentibus octo millaria, aliis occurrit, cui à rubro monte nomen hæsit, hunc Querepees accolunt; multi hic Castores capiuntur, postquam barbaros natura sua desides, nostrarum mercium desiderium excitavit. Quatuor ab hoc millaria versus occasum, oram sequentibus, insula occurrit, & mox aliæ complures, unde nostrates Archipelagum Insularum dixerunt, hic sinus ad quatuor millaria patet in latitudinem: Continentem habitant Suwanoës, cæteris barbaris habitu & moribus similes.

Porro magnum sinum à variis insulis, per modicos alveos tantum à se invicem divisus, claudi supra diximus: has natio quædam barbara incolit, pescationi imprimis intenta, eaque vitam tolerans (*Matonwax* vocantur) unde orientali harum insularum promontorio, pescatorum nomen à nostratis impositum, quod nonnulli etiam sinus caput vocant. In interiorem hunc sinum majoris fluvii ramus aut ut alii volunt, aliis amnis exit, quem nostri inferni os, vulgo het Helle-gat, appellant, refluxus autem maris ab oriente in Occidentem tendens, majoris fluvii refluxui obviam it juxta insulam, quam à juglandum copia, nostrates *Nucum* Insulam vocant.

C A P . IX.

De Magno seu septentrionali Novi Belgii flumine, & variis populis qui illud accolunt.

20

Magnum Novi Belgii flumen, ab aliis *Manhatten*, à populis nimirum qui juxta æstuarium illius degunt, ab aliis *de Montaigne*, à nonnullis & *Nassovium*, saepius autem à nostris grande & septentrionale appellatur, ad differentiam alterius quod magis versus Austrum, in eundem Oceanum erumpit.

Juxta æstuarium hujus fluminis, continens Oceanum modico sinu admittit, quem nostrates vulgo *May* portum vocant à Navarchi Cornelii *May* nomine: clauditur Insularum aliquot objectu & Promontorio arenoso quod Orientem spectat, rupibus & vadis navigantibus infido, pone ipsum tamen statio navibus satis opportuna. Sinum in ambitu accolunt *Aquamachuques*. Ab hoc promontorio flumen ingressuris, mililiare aut paulo amplius intra æstuarium, insula occurrit, quam à nucibus appellari jam diximus: è regione illius ad lœvam seu Occidentalem ripam tres quatuorue insulæ Continenti adjacent. Fauces ipsæ fluminis distant ab æquatore quadraginta gradus & xxviii aut xxx scrup. versus arctum. Alveus in ipso ostio quatuordecim aut quindecim orgyas est altus, quam altitudinem fere in progressu servat & modo latior modo angustior, variisq; meandris inter aquilonem & corum sese inflectens ascendit.

Dextram sive Orientalem fluminis ripam, ab ipsis faucibus accolunt *Manhattæ* sive *Manathanes* ferox natio & nostratis iniquior; à quibus tamen nostri redemerunt Insulam seu terræ Angulum, quem inferni os (de quo supra) à reliqua continente dirimit, ibidemque arcis & oppidi fundamenta jecerunt Novi Amstelodami nomine. 40

Sinistram sive occidentalem accolunt *Sanhikani* infensissimi superiorum hostes, cultior gens & melior, hi secus oras sinus & in mediterraneis degunt. Ex adverso autem Manhattarum degunt *Machkentiwomi*: & intra primum fluminis flexum ad eandem oram *Tappaanes*. Flumen hic in medio alveo vadosum, secus ripas vero utrimque altitudinem suam servat, & sinum facit, qui circiter sex millaria ambitu suo complectitur & naves adversus incerta ventorum, ubi opus est, egregie defendit: fluxus atque refluxus maris hic satis validus, verum propter aquarium quæ desuper descendent copiam, non ultra pedes quatuor flumen decrescit, & plerumque vernis membribus inundat humiliores ripas. Secundus fluminis flexus corum versus sinuatur ad angustias usque, quas nostrates *Haverstroo* nominant; atque ita variis flexibus ascendit ad locum quem nostri *Visschers Rack*, id est pescatorum flexum appellant. Atq; hic orientalem ripam obtinent *Pachami*: paulo ulterius arenosum promontorium se projicit & ripæ accedunt, *E sopus* vulgo dicitur, ubi *Waoraneky*, alia barbarorum natio, sedes habent: his modico intervallo succedunt ad oppositâ ripam *Waranawancougy*. Hinc porro per varios flexus atq; reflexus, quos nostrates peculiaribus nominibus insigniunt, ad aliud promontorium ascendit, altitudine alvei paulatim de- 50 scente,

scente, & hic haud supra tres quatuorve orgyas alto, crebris vadis & brevibus pa-
sim sparsis, majore navigantium remora quam periculo: deinceps ursorum Insula
aditur & pone illam exiguis sinus, veterem stationem appellant. E regione ad dex-
tram fluminis ripam habitant *Manhikani*: eidem autem ripæ prætenditur insula ob-
longa, variis alveis intercisa, uti plures insulæ videri possint; donec ad aliam insulam
perueniatur, ubi nostri jam olim parvum Castellum habuerunt: atque hactenus
fluxus maris reciprocis æstibus ascendit & flumen magnorum navigatorum est ferox:
deinceps minus minusque altum, vix minores cymbas patitur: conspicuntur autem
eminus altissimi montes, de quibus maxima pars aquarum, quibus flumen hoc in-
flatur, se præcipitat: fontes autem haud longe à magno flumine Canadensi abesse,
vel hoc argumento opinantur, quod non raro ad Castellum nostrorum barbari
inde à *Quebec* atque adeo *Tadouac* ventitare solent. Castellum autem hoc, quod
Auriacum dicimus, insulæ insidet, quæ sinistræ ripæ adjacet, ubi natio quædam bar-
barorum habitat, quos *Mackwafios* vocant, Manhikanis qui dextram ripam è regione
tenant infensissimi. Nam pene omnes barbari qui Occidentalem ripam accolunt,
graves, cum iis qui Orientalem tenent, exercent inimicitias: huic castello primis
illis annis machinæ aliquot bellicæ impositæ erant & præsidium aliquot militum,
sub auspiciis Illustris. D. D. Ordinum confæderati Belgii, quibus præerat *Henricus*
Christiani & postea *Jacobus Elkens*: atque ita nostri ab anno *c. 1515* ad aliquot
succedentes tenuerunt: Donec à societate Indiæ Occidentalnis, novo & amplissimo
eorumdam præpotentum Dominorum diplomate ipsis concesso, porro ab ipsis
hoc flumen adiri & coloniis deductis amplius habitari cœpit.

C A P . X.

Novi Belgii Cæli solique natura, fruges, plantæ, alia.

Belgæ nostri tum qui primi hoc flumen subjerunt, tū qui postea crebris nāvigationi-
bus frequentarunt, mira narrant de proceritate arborum (egregio soli luxu-
riantis argumento) ad ædificia & naves etiam maximas, idonearum. Vitium
30 sylvestrium copia. Nucum summa abundantia, quarum fructus à nostratis non-
nihil abludunt, nam & minores sunt, & duriore atque adeo leviori cortice tecti:
atque in eumdem modum de aliis arboribus, plantis, herbis, quas terra sponte sua
fundit: ubi autem industria humana atque labore colitur, Maizium præstantissimum
incredibili fænore reddit, legumina quoque varia; phaseolos præsertim mira & iu-
cunda colorum varietate, peponum elegantissimas species, itemque angurias & si-
miles fructus usibus aptissimos; ut nihil hic nisi sedula hominum industria desidere-
tur. Nostri autem jam variis locis triticum atque alia farris genera, item linum &
Cannabin, aliaque Europæa semina ferere cœperunt, quæ solum benigne admodum
patitur. Herbarum omnis generis hic pañim magna est copia, quarum quædam &
40 elegantissimos flores ferunt, quædam & ad medicinam faciendam utiles: judican-
tur; non possum omittere quin hic unam atque alteram describam, licet usus illa-
rum adhuc ignotus sit.

Missæ fuerant ad nos è Novo Belgio duæ plantæ, quæ anno superiori, in Horto
Medico hujus urbis feliciter succreverant: quarum unam infra exprimendam
curavimus, altera inclemencia hyemis extincta fuit antequam pingi posset. con-
generes utræque visæ, licet nonnihil forma & mole foliorum atque caulinum differ-
ent: conveniebant in eo, quod folia omnino similia essent ferro quo Africani atque
Indi spicula sua asperant; quodque caules teneri essent & forte volubiles, quadran-
gulares aut quinquangulares, exiguis sentibus asperi, cum certis internodiis, à qui-
50 bus folia erumpunt & è foliorum exordiis rursus alii cauliculi: In hisce vero diffe-
runt. primò quod prioris folia latiora & ab utraque parte lævia; posterioris angustio-
ra postica parte sint aspera & magis dilute vireant; secundo quod prioris folia longis
pediculis caulis alligentur, posterioris longe brevioribus; Tertio quod prioris
caules è viridi rubescant, posterioris minime: quarto quod prior nullos flores videa-
tur ferre, posteriori vero inter singula internodia & in summitate principalis caulis
enascantur flosculi minuti, è candido rubentes, forma & modo pene convenientes

cum floribus Piperis Aquatici, nisi quod paulo elegantiores sint & magis in orbem congregati. Vnde fortasse quis non absurde harum plantarum alteram marem, alteram fæminam dixerit. Periit utraque superiore hyeme, quare cætera observare non potuimus. Ejus autem plantæ quæ flosculos fert, Iconem hic subjicimus.

10

20

30

40



In sylvis magna passim est ferarum copia, imprimis cervorum, & reliquorum quadrupedum quos pars hæc Americæ Septentrionalis nutrit.

Aves quoque hic innumeræ reperiuntut, tam majores quam minores, sylvicolæ pariter & quæ flumina & stagna amant; mira quoque plumarum elegantia & varietate: Hyeme quoque hic capiuntur præstantes Gallopavi, præpingues & optimis carnibus. Flumina denique optimos pisces nutriunt, Salmones, Sturiones & alios quamplures.

Cæli temperies à nostro clymate non multum abludit, nam licet multis gradibus propius ad Æquatorem accedit, quam nostrum, tamen hic non minus hibernis mensibus friget, quam in Belgio, & gelu satis intensum est, crebræque altæ nives decidunt & operiunt diu terram, eadem qua apud nos annorum varietate: similis ventorum inconstantia; & æstate crebra tonitrua, fulgura & validi nimbi. Ideoque vix ullam Americæ regionem, coloniis è nostro cælo deducendis aptiorem esse existimo; præsertim quum nihil hic desit, quod ad vitam humanam sustentandam necessarium

rium iudicatur, & uberioris labore & industria parari possit. Sola armenta atque jumenta hic desiderantur, quæ levi negotio huc transportari, & ob pabulipene ubique copiam commodissime ali possunt. Vites autem si cultura accederet, & vini ubere proventum videntur polliceri.

C A P . XI .

Indigenarum Novi Belgij mores & instituta; & Sankikanorum lingua.

10 **B**ARBARI in multas nationes & populos divisi, idiomate multum inter se, moribus vero perparum differunt, eadem corporum constitutione, qua illi qui bonam N. Franciae partem incolunt. Vestitus è ferarum exuvii, castorum præsertim, vulpium & similiūm, bárbarorum in modum consutis, quo se totos hyeme, neglectim æstate tegunt. Præcipuum illorum alimentum Maizium, è quo liba quædam panum instar coquunt, pisces, aves atque ferina. Arma arcus & sagittæ acutis silicibus aut piscium ossibus asperataæ. Lintres ipsis uni lignei, è vastis arborum truncis igne excavati. Quidam incertis sedibus vagi sub dio, humi strati aut super storeas junceas, somnum pariter atque cibum capiunt, idque æstate, quum proprius ad mare piscandi gratia accedunt. Alii fixas sedes habent, domiciliaque & tignis furni effigie, corticibus arborum desuper coniecta, adeo capacia, ut pluribus familiis sufficient. Suppellex illis tenuis & rara, storeæ & disci lignei, secures barbara industria factæ è duris silicibus, tubuli quoque è quibus Tabaccifumum hauriunt, ex eisdem silicibus haud inconcinne cavati, ut mirum sit quo pacto in tanta ferramento rum inopia tales ab ipsis sculpi possint; divitias neque appetunt neque norunt.

Cæterum nullus ipsis religionis sensus, nulla Dei veneratio: diabolum quidem colunt sed non tam solemniter neque certis ceremoniis, ut Africani faciunt; hunc suo idiomate vocant *Menutto* vel *Menetto*; & quicquid mirabile est & captum humum videtur superare, id similiter vocant *Menetto*; ad eundem plane modum, quem supra Canadenses *Oqui* voce uti monuimus.

30 Nulla ipsis Politiae forma, præterquam quod præfectos suos habeant, quos *Sackmos* & *Sagamos* vocant, qui fere sunt familiarum principes, nam raro cognitionis unius limites excedunt: sunt autem ut plerique barbari, suspiciosi & meticulosi; imprimis autem vindictæ cupidissimi; mutabiles: verum si humanius tractentur, hospitales & ad obsequium prompti, exiguae mercede operam suam addicunt & longissima quoque itinera brevi tempore absoluunt, majori fide quam à tam barbaris hominibus jure quis expectet: neque dubium est consuetudine Christianorum & urbanis moribus & religione imbui posse, præsertim si coloniæ huc deducerentur hominum bene moratorum, qui & obsequiis illorum uterentur absque violentia aut contumelia, & vicissim illos ad veri Dei cultum & civilem conversationem sensim assuefacerent.

40 Non possum committere, quin uti in antecedentibus, qualemcumque gustum dem Dialetti horum Barbarorum; & præsertim Sankikanorum, quæ natio supra Australe flumen degit, ut statim dicemus.

Numerorum nomina hæc illis sunt:

1. <i>Cotté.</i>	2. <i>Nyſſe.</i>	3. <i>Nacha.</i>	4. <i>Wyne.</i>	5. <i>Parenagh.</i>
6. <i>Cottash.</i>	7. <i>Nyſſas.</i>	8. <i>Geehas.</i>	9. <i>Pefcon.</i>	10. <i>Terren.</i>
20. <i>Myſſynach.</i>	30. <i>Nachynagh.</i>	40. <i>Weydynagh.</i>	50. <i>Parathgynah.</i>	60. <i>Cottegynagh.</i>
70. <i>Nyſſastigen.</i>	80. <i>Gahashynagh.</i>	90. <i>Pefcongynach.</i>	100. <i>Cottapach.</i>	

Partes corporis humani ita nominant.

Caput	<i>Wyer.</i>	Capillus	<i>Mytrach.</i>	Frons	<i>Nachkaronck.</i>
50. <i>Oculus</i>	<i>Schinquoys.</i>	<i>Nalus</i>	<i>Akywan.</i>	<i>Auris</i>	<i>Hyttrwack.</i>
<i>Os</i>	<i>Toonne.</i>	<i>Labrum</i>	<i>Chettoen.</i>	<i>Dens</i>	<i>Wypy.</i>
<i>Lingua</i>	<i>Wyeranou.</i>	<i>Mentum</i>	<i>Hochquoys.</i>	<i>Collum</i>	<i>Nequoykangan.</i>
<i>Humerus</i>	<i>Duchke.</i>	<i>Pectus</i>	<i>Toorsay.</i>	<i>Vbera</i>	<i>Noenackan.</i>
<i>Brachia</i>	<i>Nachk.</i>	<i>Digitæ</i>	<i>Rinskan.</i>	<i>Pollex</i>	<i>Rideren.</i>
<i>Vngues</i>	<i>Hyckaes.</i>	<i>Neruus</i>	<i>Cheet.</i>	<i>Sanguis</i>	<i>Mohocht.</i>
<i>Ventriculus</i>	<i>These.</i>	<i>Venter</i>	<i>Nathey.</i>	<i>Femur</i>	<i>Promine.</i>
<i>Pedes</i>	<i>Syt.</i>				<i>Sexuum</i>

Sexuum nomina ita efferunt, Mas Renoes. Fæmina Orquoywe.

Elementa autem; & quæ ex illis composita.

Ignis	Tinteywe.	Aqua	Empye.	Arbor	Hitteocke.
Pluvia	Soukeree.	Gelu	Kepatten.	Nives	VVynoyvvee.
Grando	Tassjckii.				

Animalium nomina hæc fere agnoscant.

Cervus	Atto.	Lupus	Metumnu.	Canis	Aram.
Vrsus	Machquoyvo.	Leo	Synquoy Mackyrggh.	Vulpes	VVoucouss.
Castor	Temaquoy.	Lutra	Counamoch.		

Avium item.

Cygnus	VVynkyckso.	Gallopavus	Sickenum.	Grus	Tarecka.	Anser	Ciahack.
Anas	Comconcke.	Perdix	Ourikinck.	Turtur	Mymy.		

Pisces hic noti.

Lucius	Caopyte.	Anguilla	Syackameck.	Perca	Caðycakanesse.	Truta	Cackykane.
		Qualitates	ita distingunt.	Bonus	Ouret.	Malus	Mater.

C A P. XII.

Oræ maritimæ descriptio ad alterum usque Flumen & gradum Trigesimum Octavum latitudinis septentrionalis.

10
Inter Promontorium Arenosum, quod modo sinum veluti claudere diximus, qui flumen Septentrionale accipit, & extremum littus insularum quas Mattouwacky incolunt, viginti quinque millaria numerantur secundum exactissimas nostrorum observationes, inter Mezen & Zephyronotum, servatque Mare medio pene intervallo alveum satis altum.

Hunc autem sinum egressis & Austrum versus littora legentibus, primum terra edita & duplex sese ostendit, reflectens versus Libonothum, dein paulo amplius ad austrum curvatur, absque brevibus aut vadis; juxta littus in ipsa continente arenosi tumuli visuntur, verum paululum proiectis, solum sensim declinat atque humilius fit, littore ab ipsa continente fluctibus mediterraneis diviso & Æquori pene æquali, nisi quod rari arenosi colles hic illic extent, & ora incisa fluctus marinos per certos canales, variis locis intromittat: præsertim ad altitudinem novem & triginta graduum & xv Scrup. Ovorum vel etiam sinuum portum vocant nostrates. Hic enim ora à marinis fluctibus incisa, æquor patentis sinu admittit, in quo minores aliquot insulæ sparsæ. Hunc portum prætervectis sylva ad oram maris conspicitur, & mox colles aliquot arenosi, & humile littus & saltus, & nonnunquam tumulus unus atque alter, tota hac plaga ad zephyronothum inclinante, usque ad fauces alterius satis ampli sinus, qui duobus promontoriis utrimque in altum egreditur, & aliquot milliarium intervallo disiunctis, mare vasto ambitu admittit; septentrionali May, Australi promontorio Cornelii cognomen à primo inventore datum. Est autem hic 40 sinus crebris vadorum brevibus, navigantibus supra modum infidus, ita ut non nisi cum summo discrimine absque peritissimo Nauclero adiri possit; inter brevia tamen alvei satis alti discurrunt.

In intimum autem gremium hujus sinus, magnum itidem flumen egreditur, ex interiori continenti descendens, quod ad alterius de quo supra diximus discriminem, Australe appellatur, jam aliquot navigationibus à nostratis lustratum; præter minores aliquot amnes qui in hunc sinum sese evoluunt. Verum quum plenior hujus fluminis notitia ad nos nondum pervenerit, plura de illo dicere superfedeo. Hoc unum addo, varias nationes Barbarorum ripas illius accolere & interiores regiones possidere. Ad minorem amnem qui in sinum egreditur paullum infra majoris fluvii fauces degunt *Sevvaposi*: statim intra majoris fauces ad dextram quidem *Siconesii*, ad sinistram autem *Minquasy*: ulterius ascendentibus obuii sunt *Naraticongy*, *Mantaesly*, *Armevvamexy*, qui omnes ad dextram ripam juxta minores amnes qui in majus flumen influunt, accolunt eo ordine, quem expressimus; remotiores à ripa sunt *Mæroahkongy*, *Amakaraongky*, *Remkokes*, *Minquasy* sive *Machoeretini*; *Atsayongky*: omnium remotissimi *Mattikongy* & *Sankikanes*

kanes qui quadragesimum gradum latitudinis septentrionalis attingunt, absuntque ab ostio fluminis circiter octodecim millaria: quibus quidam addunt *Sawanos*, *Captanasses*, *Gacheos*, alios, qui vitæ institutis & moribus ab iis quos modo descripsimus nihil aut parum discrepant, colunt agros, & Mayzio leguminibusque vicitant.

Porro promontorium *Cornelii* ut vocant, distat ab æquatore octo & triginta gradus & LV scrupul. Hinc digressos, sequentesque littus quod ad Zephyronothum convertitur, quatuor milliarum intervallo, aliud promontorium fit obviam quod nostri Hinlopianum vocant, à quo deinceps ora primum versus austrum revertitur, rursusque ad Africum retrocedit ad trigesimum octavum usque gradum, in quo hic 10 finem facimus.

V I R G I N I A .

C A P . XIII .

Virginiae, quam Angli hodie incolunt, situs, cœli solique qualitates.

Novo Belgio contermina est *Virginia*, Anglis colonis hodie habitata, quam Joannes Smithus in hunc modum describit. **V I R G I N I A** (inquit) in quam Angli nostri anno 1585 colonias deduxerunt à trigesimo septimo ad trigesimum nonum septentrionalis latitudinis gradum secundum littus exporrigitur. Æstas hic calida uti in Hispania, hyems frigida, qualis in Gallia aut Anglia: Mense Junio, Julio & Augusto hic potissimum æstuat, qui tamen æstus ab orientalibus auris quas *brisas* vulgo vocant Hispani, & à maritimis ventis plerumque corrigitur & egredie mitigatur: à Decembri ad Martium usque friget, acerrimo quidem frigore, sed minus diurno. Anno 1585 77 quum plerisque Europæ regionibus intensissimum frigus incumberet, etiam *Virginia* longam hyemem & diurnam glaciem fuit experta, sed anno proximo pro octo aut novem menses aut glacialibus diebus, plures tepidos & pene vernos ipsa hyeme sensit. Venti multum hic variant: crebra fulgura & tonitrua, gravioraque quam in Europa. *Africus* hic maxime pluvius & imbrum pariter atque æstuum fœcundus: *Corus* vero æstum corrigit & plerumque serenat; frigus & gelu ab arcto, nebulæ & pluviae ab Oriente atque Euro descendunt. Aër licet interdum siccior, nonnunquam & humidior est, neuter tamen damnosus, neque quicquam impedit, quo minus omnimodæ fruges, haud secus quam in Europa, labore & industria humana hic utiliter excoli possint.

Vnicus ad hanc regionem aditus est per late patentem sinum & à duobus promontoriis dextra levaque clausum, quorum australe, quod ab Henrico Walliæ Principe nomen accepit, arenosis tumulis & modicis collibus conspicuum, piceis & pinis juxta oram late viret: septentrionale à Carolo Eboracensi tum duce, nunc Magnæ Britanniæ Rege nomen invenit.

Interior regio nulli Europæ, Afriæ aut Africæ regioni secunda est, sive multitudinem pulcherrimorum & navigabilium fluviorum species, sive cœli solique beatitudinem. Hic montes vaste se attollunt, alibi colles modice assurgunt, illuc in convallis subsidet tellus, istuc rursus in latam planiciem sternitur: crebra stagna, vari lacus, frequentes amnes interluunt, qui omnes in amplissimum & pulcherrimum illum Sinum sese exonerant: In quo uti & in fluminibus variæ insulæ sparsæ sunt, quarum quædam arboribus vestitæ, quædam nudæ, omnes autem humiles & hastenus in cultæ visuntur.

Sinus hic inter Austrum & Septentriones porrigitur & æstum maris ad ducenta 50 pene millaria anglica sentit, alveo ad centum & quinquaginta millaria navigabili & septem & non raro quatuordecim orgyas alto, & ut plurimum decem aut quindecim millaria lato. Solum in interiori Sinus gremio in altissima montium juga assurgit, quæ versus Africum sese perpetuo ductu & veluti recta linea expandunt, & quo magis ad austrum processerint, eo longius ab ora Sinus recedunt: ab his variæ rivuli & torrentes descendunt, qui alii in alios illabentes, tandem quinq; insignes & navigabiles amnes in Sinum educunt; hi potissimum à Coro versus Eurum labuntur, & di-

vidunt occidentalem oram, ostiis nunc viginti, nunc viginti quinque milliarium intervallo à se invicem discretis.

Montes porro diversæ naturæ sunt atque soli, nam qui Sinus gremio prætenduntur, cautibus asperantur ac laxis, quæ à molaribus haud multum differunt; quidam etiam marmor ferunt: nonnumquam & Crystallum ad radices montium reperitur, quod nivibus, quæ jugiter vertices hibernis mensibus operiunt, ab æstu Solis solutis, & torrentibus in imas valles sese præcipitantibus, una devolvitur: Eadem undæ, ramenta quædam soli abradunt & secum deferunt adeo splendentia, ut facile quis credat, metallorum venas intra montium viscera abscondi. Ipsa quoque soli natura multum variat, est quod bolum Armeniæ colore æmuletur, nonnullibi & quod 10 Lemniam quam vocant terram, sive sigillatam referat: non raro & fullonia reperiunt & marga stercorandis agris apta, & similes terrarum species. Vt plurimum autem solum aut nigro aut arenoso pulvere aut pingui gleba constat, rarius vero infœcunda glarea: fecunditatem arguunt, proceræ quæ ubique fere nascuntur arbores, & herbae, lætaque gramina. Cæterum neque acclive nimium neque declive solum, colliculis & modicis convallis ita temperatum est atque distinctum, tam limpidis fontibus riguum, tot amœnis rivulis pervium, ut nihil pulchrius aut amœnius natura moliti potuisse videatur: nisi quod sylvis pene invia pleraque sunt omnia, præterquam ubi Indigenarum industria, sementis gratia, jam ab aliquot annis, illæ excisæ atque eradicatae fuerunt. 20

C A P. XIV.

Flumina Virginie & Populi qui ea accolunt, è Commentario Joannis Smithi.

Pavvhatan. **Q**UINQUE pulchra & navigabilia flumina in magnum sinum (qui vulgo Chesapeack appellatur) & quidem ad lœvum seu occidentale illius latus, descendere supra diximus. Eorum primum & fere è regione faucium situm quibus sinus æquor admittit, ab occidente descendens & in montibus Monacanorum oriens, vulgo Pawhatan dicitur à Reguli nomine, cuius ditionem præterlabitur; 30 jamque centum & forte plura millaria permensus & toto illo tractu navigiorum patiens, ore tria millaria lato in sinum exit, alveo tamen propter vadosas utrimque ripas satis angusto: quo minus superius navigetur crebri cataractæ & rupium saxonumque brevia faciunt: multis rivulos accipit è jugibus fontibus, præterea & aliis amnibus augescit; ab austro quidem primum amne Apamatuck, dein paulo inferius aliis duobus, qui ambo Quiyoughcohanock dicuntur, sub quibus sinus jacet, (in quem tres quatuorve modici torrentes confluunt) qui à Waraskoyakis mediâ parte accollitur: tertio Nansamund fluvio; & postremo stagni emissario, Chesapeake barbaris, à quo magno sinui nomen: Ab arcto vero supra Iacobopolim Anglorum coloniam primo fluvio Chikahamania, deinde alio qui insulam Cedrorum lambit, postremo 40 & à sinu & portu Kecoughtan aquas accipit, qui variis flexibus in canales & peninsulas veluti fibris incisus, stationem cymbis præbet. Hujus fluminis, amnumque quos devehit, ripæ à variis populis vel potius cognationibus habitantur, sub Regulis suis, quos ipsi Weroances vocant. Ad dextram ripam, juxta fluminis ostium habitant Kecoughtani qui præter foeminas & infantes vix viginti viros bello idoneos numerant: his proximi Paspahegenses quadraginta millaria supra ostium, qui vix quadraginta habent: (in horum territorio sita est Anglorum colonia) deinceps Chicahimanenses, pene ducenti numero: Weanaky centum; Arrowhatocky, triginta: Pauhatani quadraginta. Ad lœvam autem Apamatuckij, qui viros bello aptos sexaginta numerant: Quiyoughcohanokij qui viginti quinque: VVvaraskoyacky qui quadraginta; Nansamundy 50 qui ducentos, Chesapeacky qui vix centum. Omnes hi barbari peculiares suos VVeroances habent, quibus parent, præter Chicahimanenses qui à sacerdotibus suis reguntur, quos è senioribus eligunt & CawCawWassouges appellant. In hoc flumine denique æstivis mensibus ingens accipenserum copia capitur (mense quidem Junio minorum, Septembri autem longe maximorum) hybernis avium: omnes præterea amnes & torrentes qui in istud influunt valde piscosi sunt.

Quatuor-

Quatuordecim millaria ab hoc flumine versus arctum , alterum egreditur , *Pamaunke* vulgo dictum , quod ab occidente è mediterraneis montibus labitur , primo exilius , ubi *Youghanound* nominatur ab accolarum nomine qui sexaginta viros bello idoneos numerant : deinde variis meandris per longa terrarum spacia devolutum , alium amnem *Matta pamintum* ab septentrione accipit & deinceps latiore alveo descendens *Pamaunke* appellatur , & juxta confluentem à trecentis pene barbaris accolitur : Infra hunc viginti quinque circiter millaria ad dextram seu septentrionalem ripam *Werawocomoco* jacet , maximi horum populorum Reguli quondam regia ; quam tamen jam reliquit & se ad Orapakensium solitudines ad *Youchta-* mundi ripas recepit : decem aut duodecim millaria infra *Werawocomoco* ad sinistram sive austalem ripam *Chischiackorum* pagus jacet , qui quadraginta aut quinquaginta bellatores posunt emittere : exiguo ab hoc flumine intervallo , effluit è continentis , minor amnis , *Payan katuik* ab indigenis appellatus , cuius accolae ad quadraginta accedunt .

Tertium flumen *Toppahanock* dicitur , quod è *Mannahackorum* jugis descendit & ad centum & triginta millaria navigari potest : haud procul ab ostio habitant *Cuttawomeni* , qui haud supra triginta viros habent bello idoneos ; & supra hos ad septentrionalem ripam *Moraugtacundij* , qui pene octuaginta ; & his proximi *Toppahockij* (à quibus fluminis nomen inditum fuit) qui centum : & rursus *Cuttawomeni* longe infrequentiores . Ad austalem ripam procul ab ostio degunt *Nantauchtacundij* , centum quinquaginta viri : & propius ad ostium *Opiscopankij* .

Quartum flumen *Patavomeke* appellatur , quod in ipso exitu sex aut septem millaria patens , ad centum & quadraginta millaria navigia patitur : quo intervallo multos rivos & amniculos accipit è vicinis collibus & montibus profluentes ; qui colles non minus fructiferarum & silvestrium arborum opacitate conspicui sunt , quam ipse alveus mirum in modum piscosus . Frequentes ad utramque ripam jacent pagi , & quidem ad sinistram haud longe ab æstuario *Vigcomoco* centum triginta bellatores alens : ei proximus *Sekacowone* triginta ; & *Onawmanient* centum ; frequentissimus autem *Patavomeke* centum sexaginta ; juxta hunc excipit flumen *Quiyough* , qui è montibus oritur qui ad occasum vergunt ; deinde alveum cubito ad boream reflextens , *Tauxenentum* quadraginta virorum pagum lambit ; rursusque ascendit versus Corum : hic ad dextram ripam jacet *Secowocomoco* quadraginta virorum pagus , & *Potapoco* triginta : & ad ipsum prioris cubiti flexum *Pamacacak* sexaginta ; & paulum superius *Moyowana* centum ; denique ad alterius cubiti flexum *Nacochianche* , octuaginta : atque ibi flumen per amoenissimam convallem , decem millaria longam , decurrit , arborum lucis opacam , multisque torrentibus & rivulis irriguam .

Quintum flumen dicitur *Pautuxut* præcedentibus longe minus , alveo tamen ad sedecim aut octodecim orgyas alto , & longe piscosiore : Hujus ripas accolunt *Acquintanasaci* , *Pautuxuntij* & *Mattapanientii* qui haud supra ducentos viros ad bellum valent emittere : attamen magis conjunctas sedes habent quam cæteri barbari , illisque multo cultiores & hospitaliores judicantur .

Triginta ab hoc millaria , aliis insuper amnis in sinum egreditur , quem à soli colore Angli vulgo *Bolum* vocant ; alveo quidem navigabili , sed ripis incultis atque desertis .

In ipsum Sinus gremium quatuor præterea fluvii se exonerant , quorum interior bidui itinere in mediterraneis ortus , haud longe supra fauces de cataracte satis alto præcipitatur ideoque navigiis inaccessus : hujus ripas in interiori Continente , accolunt *Sasquesahanoxi* procera gens & præ Anglis atque barbaris gigantes visi , cæterum simplices & præcipua erga advenas veneratione ; lingua & amictu à reliquis barbaris multum diversi , quippe pro mole corporis raucum boatum veluti è specu edunt ; ursorum & luporum pellibus amiciuntur , peregrinum in modum : integrum ursi pellem circumjiciunt corpori , ita ut caput pro monili pectori ipsorum incumbat ; alii lupi caput , alii ungulas pro ornamento appendent : arma ipsis arcus , sagittæ & clavæ è durissima materie : pagos suos palis communiant adversus *Massawomekios* cum quibus jugiter bellum gerunt . Iconem unius barbari Joannes Smithus in tabula sua Geographica nobis expressit , quam hinc adjungere operæprecium putavi .



Hujus crura juxta suras tres quartas partes ulnæ anglicæ crassa erant, è quibus reliqua corporis moles æstimari potest: cæterum membris bene compositis & decorus aspectu, coma capitinis supra dextrum humerum promissâ, leva capitinis parte rasâ, & à fronte ad occipitum per medium verticem instar cristæ erectâ: sagittas ulnam & semissem longas, & acuto saxo, ferri inopia, asperatas in lupi exuvii post tergum revinctas, arcum una, clavam altera manu gestabat.

Porro ad dextrum sive orientale magni sinus latus etiam aliquot amnes e-grediuntur, & quidem primo *Toghwogh*, barbaris frequens, qui septem ab ostio milliaria pagum palis undique septum incolunt. His vicini sunt ad eandem oram *Ozinii*. Deinde paulo magis versus Austrum fluvius *Raphahanock*. Tertio illi vicinus *Kuskawaraok*, quem populus ejusdem nominis frequentissimo pago accolit, ducentos viros bello idoneos numerans. Quartus huic modico intervallo proximus *Tantswicomoco* amnis, cum pago centum virorum: puilla admodum hæc gens & idiomate à cæteris longe diverso, moribus valde incultis atque asperis: denique ad extimum cornu modici amnes *Achanock* & *Accomack* cum suis accolis, qui *Pawhatani* parent, eisdem moribus & dialecto cum reliquis illius subditis.

C A P. XV.

De Terræ fructibus qui sponte in hac Virginie parte particulariter proveniunt.

LI C E T Virginia hæc multorum animalium fœcunda sit generatrix, tamen graminis laborat inopia, præterquam in paucissimis humilibus & campestribus convallibus; non tam soli vitio, quam ob lucorum & sylvarum densitatem, ita ut facile labore atque industria, succisis arboribus, huic inopiaz succurri possit. Inter arbores sylvestres, frequentissimæ sunt quercus & juglandes; quarum illæ longe pulcherrimæ & procerissimæ, in varias species divisæ: nonnullæ ferunt glandes dulces & candidas, ex quibus indigenæ oleum excoquunt, quo artus suos oblinunt, & in pollinem contusis panes aliaque edulia conficiunt. Habent & ulmos atque fraxinos, è quibus saponarius cinis exuritur, quo majores fuerint arbores, eo laudabilior. Præterea arbores quas Angli à similitudine frondium, trunci atque fructuum Cupressos nominant, quarum quædam in summam proceritatem excrescent, trunco ad quinquaginta, sexaginta & interdum octuaginta pedes alto, & crassissimo, præsertim juxta radicem. Mori quoque satis vastæ juxta barbarorum tuguria & alibi passim reperiuntur: avellanæ item nuces Europæis nequaquam inferiores. Prunorum species hic tres observatae, quarum duæ quæ rubra atque alba *Pruna* ferunt, arbutis similes: tertiae vero fructus appellant barbari *Putchamins*, hæc in Palmæ altitudinem adolescit, & fructum fert mespilo non absimilem primo viridem, deinde subflavum, ubi plene maturuerit, rubicundum: immaturus austerior est & si masticetur, os cum exquisito dolore astringit, matus gratissimi est saporis & præcocibus omnino similis. Cerasa hic reperiuntur grandia, poma pauca,

pauca, parva atque acerbiora: vites frequentissimæ, quæ ad procerissimæ arborum fastigia scandunt; sed inter lucos raras uvas, prope barbarorum tuguria, ubi cœlo fruuntur liberiore, licet incultæ, magnam uvarum copiam ferunt: sed succo sunt minus laudabili; habent & uvarum speciem grandiusculam & instar cerasorum, *Messamines* vocant, carne pingui, & succo minus liquido & insipido si exprimatur. In deliciis habent *Chechinuaminis*, fructus exiguos, glandibus haud absimiles, nisi quod calicibus contineantur instar avellanarum. Acinorum quoque species hic abunde crescit, nostris uvis crispis forma, colore & sapore plane similis; *Rawocomenes* vocant, iisque tam crudis quam coctis vescuntur. Hisce fructibus plerisque anni tempestatibus vietitant, atque utuntur in hunc modum: Juglandes avellanas, glandes atque *Chechinuaminis* siccatas recondunt, deinde ubi opus est, duorum saxorum attritu comminuant, comminutas super cratem torrent, & tostas ligneo pastillo redigunt in pollinem, atque aqua macerant, & utuntur lacteo illarum succo, quem *Pawcohicoram* vocant. *Putchamins* prunorum instar servant. Ex avellanis quoque *Chechinuaminis* quatuor horis in aqua coctis, potum quendam atque panes conficiunt, hisce primates ipsorum festivis diebus delitiantur. Præter fructiferas hasce arbores habent & populos albas, aliasque quæ gummi odoriferum exsudant instar balsami; cedros item & fassafras.

In riguis convallibus acini crescunt instar capparum, *Ocouchtanimins* ipsis, quos 20 æstate ad solem siccant & aliquot horis coctos in cibos adhibent, nam incocti malignæ atque adeo venenatæ sunt qualitatis. *Mattowme* in pascuis provenit, panici graminis effigie, semen ferens filigini simile, sed minus, panes ex illo coctos in deliciis habent & condunt adipe ferina. Æstivi menses aut fraga subministrant quæ mense Aprili; aut mora quæ Julio maturescunt, aut denique fructus admodum salubres, qui limones referunt, & *Maracok* ab ipsis appellantur (Angarias esse deprehendimus.) Multæ præterea herbæ edules, violæ, porcellana, acetosa & similes passim in pratis & silvis lète crescunt.

Inter edules radices excellit *Tockawouge*, cænosiis locis proveniens maxima copia, magnitudine & sapore *Patatis* æmula: hasce radices in scrobem conjectas, quernis 30 foliis & filice operiunt, deinde igne utrimque apposito, viginti quatuor horis torrent, nam crudæ venenosæ judicantur: quin & coctæ nisi dudum refrigerentur, comminuantur & exsiccentur, gulam acrimonia sua pungunt; æstate tamen admista acetosa panum loco ab ipsis usurpantur. *Wichsacan* paulo minor est radix, quæ contusa & vulneribus imposita, eadem consolidat. *Pocones* autem maximi faciunt exiles radices, quæ in montanis crescunt & siccatæ atque contusæ, fundunt rubrum quendam colorem, quo tumores discutiunt, artus suos illinunt & facies suas atque vestes inficiunt. *Musquas penne* radicula est, digitæ magnitudinem raro excedens, rubore plane sanguineo; unde succo illius storeas, clypeos, aliaque utensilia tingunt. *Pyrethrumb* denique, *Saxifraga*, & plura simplicia hic colliguntur: cepe quoque licet minora passim paludosis locis sponte nascuntur.

C A P . X VI .

*De Sativis fructibus & modo quo barbari illos colunt
atque usurpant.*

VIRGINIENSIS barbari annum suum dividunt in quinque partes; hyemem vocant *Popanau*; vel *Cattapeuck*, æstatem *Cohattayough*, quum frumentum illorum aristas suas protulit *Nepinough*, autumnum denique & quum arbores frondes excutient *Taquitock*. Ab initio Septembribus ad medium Novembrem 50 feriantur & indulgent genio, nam tum maxime omnigenis fructibus, piscibus, avibus & præsertim ferina abundant. In frumento serendo præcipue laborant, nam primum arboribus, quibus solum passim vestitum est, corticem juxta radicem detrahunt, radicesque ipsas adurunt ut emortiantur: dein proximo anno ubi arbores emortuæ fuerint, radicitus evellunt; & in vacua area demum semen faciunt hac methodo: Mares primum palo ligneo foramina terebrant, quatuor pedum intervallo, in ea *Mayzy* quatuor, fabarum duo semina injiciunt: sœminæ autem & pueri, ubi jam

jam adolescent, auferunt Zizania & aggerunt terram. Sementem inchoant Aprili, & repetitis operis producunt ad medium Junium: Aprilisata, mense Augusto, atque ita successive ad Octobrem usque exeuntem metunt. Culmi plerumque duas tresve aristas, raro plures, (interdum & nullas) ferunt, quæ è ducentis, aut quum maxime luxuriant, quingentis granis constant: culmis antequam aruerint succus est suavis, pene qualis facchari cannis, ideoque barbari farra sua viridia atque immatura colligunt, ut culmos possint exsugere atque ita collecta magis laudant, quam quæ perfecte matuerint.

Pisa præterea ferunt, quæ *Affentemens* appellant; & phaseolos imprimis amant. Frumentum adhuc viride in aristis suis torrent, inque mortario frangunt, & foliis 10 plantæ involutum coquunt in aqua, atque hæ præcipuæ ipsorum deliciæ. Serius autem satum, ita ut ad maturitatem pervenire non possit, ad eundem modum sub cineribus tostum, in hyemem recondunt, & tunc coquunt cum fabis; hunc cibum vocant *Panserowenam*. Maturas vero fruges, primum aqua nonnihil macerant, dein pistillo contundunt, & pollinem barbato artificio per sportulam instar cribri excutiunt; è polline aut panes subcinericeos conficiunt, aut admixta aqua puliculam, quæ *Ponap* ipsis dicitur. Furfures & reliqua farris retrimenta aliquandiu ventilata, aliquot horis ebulliunt, qui usitatissimus ipsis cibus, *Vstatahamen* nominant. Quidam & vacuas aristas urunt & pulverem quem *Pungnouck* dicunt, admiscent farinæ, sed male, siquidem non modo panum sed & juscotorum gratiam minuit. 20

Mense Mayo inter fruges ferunt *Pepones*, & fructum melonibus haud dissimilem, sed minorem & multo inferiorem, quem vocant *Macock*, cito adolescent hic fructus & initio Iulii incipit maturescere, duratque in Septembrem. Plantam præterea sylvestrem fructumque *Maracock* limonis, ut supra diximus, forma, qui subito incrementum sumit & mense demum Septembri maturatur. Præter hosce fructus, raros admodum colunt, atque hos ipsis, quæ gentis segnities est, satis parce; maxima quippe anni parte ex quæ terra sponte producit, quæque amnes, saltusque subministrant in cibis usurpant; præsentibus contenti, futuri minus providi.

Ut ea quæ author noster scribit de *Maracock* paulum illustremus, superiori anno ad nos missa fuerant è Novo Belgio semina, cucurbitarum seminibus pene æqualia, 30 sub aquaticarum Limonum nomine, quæ quum hac æstate terræ mandassem, ex forma foliorum & reliqua plantæ constitutione (nam fructus nullos tulit) deprehendi Anguriam esse sive cucumerem citrulum. *Pepones* autem nobis è seminibus prævenerunt minutiores quidem, sed eleganti formarum & colorum varietate.

C A P. XVII.

De Variis animalibus Virginie, terrestribus aëriis & aquatilibus.

IN T E R animalia ipsorum *Cervi* agmen ducunt, ab Europæis perparum diversi, quorum plurimi per sylvas & solitudines vagantur & juxta fluviorum fontes; inter flumina & in campestribus raro visuntur. 40

Animal autem quod barbari vocant *Aroughcun*, castori est simile, nisi quod inter arborum ramos degat quemadmodum sciurus. Ipsorum Sciuri magnitudine corporis ad nostrates cuniculos quam proxime accedunt, nigro colore, aut ex albo nigroque mixto, ut plurimum tamen cinereo. Animalculum alterum, quod ipsi *Assapanick*, Angli Sciurum volatilem appellant, divaricatis cruribus & pelle distenta, veluti alarum remigio, nonnumquam ad triginta aut quadraginta decempedas volare videtur.

Opassum capite porcellum, cauda glirem referens, mole modicum felem, saccum sub ventre habet, in quo catulos suos circumgestat & alit. 50

Mussascus forma atque ingenio murem aquaticum æmulatur & muscum redolet.

Lepores hic ratiiores, nec cuniculos nostros multum superant magnitudine. *Vrsi* hic quoque parvi si cum septentrionalioribus conferantur. Castores molosorum mole, brevibus cruribus, anterioribus pedibus caninis, posterioribus cygneis, cauda ipsis lata reticulo similis, nuda atque depilis, carnes barbari maximi faciunt. Plurimæ hic *Lutræ*, quas barbari cassibus intercipiunt & exuviis earum se ornant.

Habent

Habent & animal cato silvestri non absimile, quod *Vetchunquoy* appellant. Vulpeculæ hic parvulæ, nec tam graveolentes quam anglicanæ; colore è cinericeo nigrante. Canes illorum lupis pene sunt similes, nec latrant ut nostri, sed ululant. Lupi vulpecularum magnitudinem raro excedunt. Mustelas quoque & Martes hic esse, pelles arguunt, licet ipsa animalcula raro haec tenus ab Anglis visa fuerint. Mirum autem quod ejusmodi animantia hinc gallinis aut pullis nocere haec tenus non fuerit observatum; uti & illud, quod ipsorum serpentes veneni expertes esse credantur, quum in australibus Americæ regionibus eorum morsus tam noxii & fere lethales esse deprehendantur.

10 In volatilium censum referuntur Aquilæ, variique Accipitres: perdices nostris coturnicibus haud multo maiores: sylvestres gallopaui, cicuribus nostris pares: Merulæ atque Turdi remigibus alarum lœte rubentibus; variæque minorum avium species elegantissimis plumis rubris, cœruleis atque viridibus. Hibernis autem mensibus, magna copia cygnorum hic reperitur, gruum item cinereorum atque alborum; nigris alis: ardearum, anserum, anatum, columbarum, aliarumque avium, quarum nomina & forma Europæis ignota: paucissimæ autem harum æstate hic conspi ciuntur.

E piscium numero hic referuntur Accipenseræ, phocænæ, vituli marini, Pastinacæ, quarum aculeus valde est venenatus; aselli minores, salmones candida carne, Trutæ, soleæ, passeres, haleces, anguillæ, murænæ, percæ trium generum, cancri, astaci, ostreæ atque mytili. Inter monstrosos autem pisces merito referendus, parvulus pisciculus qui draconem, qui S. Georgio vulgo appingitur, egregie refert, nisi quod alis & cruribus careat. Aliusque bufoni non absimilis, unde & illi nomen inventum, qui extra aquam tantopere inflatur, ut dehiscat.

Barbari autem carnes atque pisces aut aqua ebulliunt, aut super crates torrent, aut denique verubus affixas Hispanorum more tantisper ad ignem assant, donec penitus siccentur quemadmodum in Insulis & Continente Americæ carnes ad solem siccare mos est, ita ut ad menses aliquot conservari possint.

C A P. XVIII.

30

Mores atque ingenium, habitus, & instituta Indigenarum.

IN D I G E N A E pauci pro magnitudine regionis, & quidem paucissimi viri, longe plures fœminæ atque pueri. In ambitu sexaginta milliarium circa *Iacobopolim*, haud supra quinque millia hominum & inter illos vix mille quingenti viri numerantur, qui arma ferre possint. Segnities illorum in causa est, qua fit ut licet solum fertilissimum sit, tamen plures incolas alere vix possit. Multum autem inter se differunt, statura corporis & dialectis; alii enim vasto sunt corpore ut *Sasqueshamekj*, alii pumilo ut *Wigocomoci*: plerique autem proceri & graciles, bene compositis membris, colore fusco ubi adoleverint, nam candidi nascuntur, crinibus nigri & fere imberbes. Mares dimidiæ capillitii partem sibi à fœminis conchis quibusdam abradi curant, alteram autem promittunt: Fœminæ pro ætatis discrimine varie tondentur, semper tamen vittas quam longissimas ab alterutro latere relinquunt. Barbari robusto sunt corpore atque agiles, frigus tolerare assueti, hyeme in sylvis humi juxta focum strati cubant, æstate in gramine. Mutabili ingenio, vafri, timidi, & pro barbarorum captu satis industrii atque ingeniosi: iracundi & vindictæ cupidissimi; furari metuunt, quia furta sua à sortelegis suis deprehendi posse suspicantur. Fœminæ raro impudicæ nisi viris suis consciis. Unaquæque familia vel cognatio suos campos, suosque hortos & arva novit.

50 Amiciuntur ferarum pellibus, hyeme quidem villosis, æstate autem depilatis: potentiores etiam pallia ex iisdem pellibus consuta circumamiciunt: sed tenuiores se foliis arborum, gramine atque arborum musco tegunt: non pauci etiam pallia gestant è gallo pavorum plumis tanto artificio consuta, ut non nisi plumæ appareant, singulari adversus acrius frigus remedio. Fœminæ semper ventrem & pudendæ ve lant, atque aliter forte conspectæ erubescunt; crura, manus, ubera atque ipsam faciem nigris notis, variisque ferarum & serpentum figuris dispungunt: auriculus plerumque

plerumque tribus locis habent perforatas, quibus varias quisquilias ornamenti gratia appendent: quidam viri viridem croceumque anguiculum, sesquipedem longum, qui & collum circumserpit, & nonnumquam os illorum allambendo veluti osculatur, alii murem alii glirem mortuum, cauda suspensum: in capite, alii alas avium, alii plumarum fasciculum cum crepitaculo, quod caput manubrii æmularunt, ab anguis cuiusdam cauda mutuatum; alii accipitrum aut aliarum avium exuvias; ditiores quidam laminam æneam, nonnulli denique, quod maxime gloriosum putant, manus hostibus præcisæ & siccatae. Caput atque humeros rubrica inficiunt, è radicibus herbæ *Pocones* expressa & oleo mixta, id & hyeme adversus frigus & æstate aduersus æstum ipsos munire credunt. Quid multa? quo quisque magis terribilis appetet, eo pulchrius pictus & ornatus sibi videtur.

Domicilia utplurimum fecus fontes aut amnes habent, quæ ex surculis arborum inflexis & arête colligatis constructa, storeis aut corticibus arborum circumcirca contegunt, uti frigus & pluvias, ventosque commodissime excludant; fumosa tamen sunt, licet in fastigio aperta. In hisce mapalibus circum focum super crates cubant, palmum aut amplius à solo erectas, storeis desuper tecti, sex, decem, nonnumquam & viginti in singulis: Ea denique utplurimum in medio suorum hortorum collocant, quos modicos habent: talesque plerumque viginti nonnumquam & centum conjunctim cernuntur, sepimento arborum divisi: juxta ædes aut arbusta cernere est aut veteres & deciduos arborum trunco, largam pyris materiaem.

Parentes liberis suis varia nomina, prout allibuerit, imponunt; Fœminæ illorum facile admodum parere dicuntur; soboles autem mire diligunt: in flumine primum, quod & veteribus Germanis observatum, frigida lavant, perungunt deinde pinguntque ut cutem aduersus frigus pariter atque æstum indurent.

Viri piscando, venando, belligerandoque aut similibus virilibus exercitiis se occupant, atque alia agere erubescunt, plerumque desides & otiosi: fœminæ atque pueri cætera peragunt, storeas texunt, vimineos corbes, ollas, mortaria conficiunt, fruges comminuunt, panes coquunt, quin & maizium atque legumina serunt atque metunt, nisi quod hic & mares levem operam præstent, denique onera bajulant. Ignem stipitum attritu eliciunt, quem foliis atque aliis siccis fomentis excipiunt: arcus concharum fragmentis expoliunt, sagittas è novellis arborum surculis aut canis confectas, piscium ossiculis, aut acutis silicibus asperant, nonnumquam & gallopavorum unguibus, aut avium rostris, quæ nervis ferarum alligant: E cervinorum autem cornuum extremitatibus gluten quoddam decoquunt, adeo tenax, ut frigida aqua numquam dissolvatur: in bello quoque rotundis parmis utuntur, è corticibus arborum compactis, & ligneis gladiis. Lembi illorum piscatorii, unilignei sunt, è truncis arborum, maestræ in modum excavati, triginta, quadraginta & nonnumquam quinquaginta palmos longi, duos autem aut plures profundi, ita ut interdum quadraginta homines iis vehantur; sed utplurimum minores sunt; hos tam velociter contis atque afferculis impellunt, quam nos scaphas nostras remigio.

Fœminæ membranas arborum, nervosque animalium in fila ducere solent, & præsertim sparti quoddam genus, quod *Pemmenaw* vocant, in tam tenuia fila, ut ad plurimos usus commodissime adhibeantur; ex illis autem fere retia sua nectunt.

Unica horum barbarorum religio est (si religionis nomen tanta impietas ferre potest) adorare omnia, à quibus inevitabile damnum metuunt, ut ignem, aquam, tonitru, fulmen, tormenta bellica, equos, &c. præcipue autem Cacadaemonem quem *Oke* vocant, magis ex timore quam amore venerantur: hujus terribiles admodum imagines in sacrariis suis habent, & sacerdotes tali numini convenientes: altaria sua, quæ *PaWcorances* appellant, in agris disponunt, atque ibidem sanguinem & adipem ferarum immolant, tabaccumque offerunt è bello aut à venatione reduces. Sed de hisce fortasse plus satis.

C A R . X I X .

Res ab Anglis in hac Virginie parte gestae.

PRIMVS hunc Virginie tractum, quem modo descripsimus, incolere aggressus est *Bartholomeus Gofnoldus*, multis Nobilium & mercatorum in societatem adscitis & amplissimo diplomate à Jacobo magnæ Britanniæ Rege impetrato: quo permittebatur senatum non modo in Anglia, sed & in Virginia hac constituere, rebus omnibus constituendis atque ordinandis. Prima expeditio tribus navibus suscepta, duce *Christophoro Neoportio*; is anno cIɔ Iɔc vi. xix. Decemb. Londino 1606. solvit & sex pene septimanas cum adversis ventis sub ipsa Anglia colluctatus, ubi al. tum tenuit, primum ad *Canarias* insulas aquatione facta, deinde cum barbaris *Dominicae* insulæ commercio instituto, ibidem aliquantis per commoratus, versus Virginiam iter flexit, eamque jam pene reverti certus, præter spem adnavigavit: Promontorium quod primum sese obtulit, Henrici principis Walliæ nomine illustratum: hinc coloniæ idoneus locus quæsitus, senatores inaugurati & eorum præses electus: atque impigre pro se quisque, domos construere, arva designare, vallum moliri: missi aliquot ad regionem lustrandam, qui adverso flumine (quod supra priori loco descripsimus) subiecti, post sex dierum iter, pagum invenerunt modicum, amoenissimo colli superstructum, & tres insulas & aliquot agros jam à barbaris cultos; *Pawhatan* hisce regionibus præcerat, unde incolæ, consueto hisce gentibus more quem jam alibi notavimus, *Pawhatani* dicebantur; flumen haec tenus navigabile, ulterioris tendentibus ob brevia & confragosa atque cataraetas, etiam minoribus cymbis inaccessum. Hi humaniter atque amice ubique à barbaris accepti fuerunt, verum coloni qui *Henricopolim* moliebantur, tantum jam odium indigenarum sibi conciverant, ut merito sibi metuerent; itaque & oppidulum communiverunt & bellica tormenta disposuerunt. Neque satis bene inter ipsos colonos conveniebat, sed mature à verbi divini administris reconciliati sunt: Centum coloni ea vice deducti: naves autem xv Junii anni cIɔ Iɔc vii in Angliam remearunt. Post navium disces- sum ingens calamitas novellam coloniam afflxit ob annonæ penuriam, ita ut vix decem illorum præ imbecillitate, pedibus consistere valerent, & dimidia omnino pars ante exitum Septembris defungeretur, reliqui piscibus & astacis marinis ægre vitam sustentarent; quibus malis accedebat civilis discordia & denique (barbaris nonnumquam nimis parce de suo penu impartialibus) dira fames, quam tamen *Ioannes Smithius*, postquam præfecturam inierat, nonnihil profligavit, commerciis cum barbaris restitutis; & primo *Kecouchtanum*, deinde *Weraskoykum* profectus, cymbam frumento onustam reduxit: Interim illi qui in colonia remanserant, indigenas suis mercibus ita expleverant, ut illas jam fastidirent: & dum ille alteram ad Chichaminenses expeditionem parat, maleferiati quidam cymbam illius pene subduxissent: exinde & ipse à barbaris interceptus, & cymba suorum negligentia fuit amissa: sed mox dimissus fuit, & commeatus coloniæ invectus. Post hæc novum supplementum ex Anglia, eodem *Neoportio* duce advenit, virorum centum & viginti: Neoportius autem Smitho adhortante *Pawhatanum* regulum in pago suo *Wicocomoco* invisit, qui illos comiter, prout est barbarorum consuetudo, exceptit: lecto suo storeis strato insidens, & pulvinari coriacio, margaritis & conchiliis, gentili industria, adornato innixus, & pellibus vestitus; supra caput & ad pedes illius duæ puellæ accumbebant, dextrum læuumque parietem tegebant viginti concubinæ, faciem atque humeros rubrica pictæ: Neoportius Regulo adolescente anglo, ille vicissim Neoportium uno ex intimis familiaribus (cui *Namontack* nomen erat) donavit: hisce gestis & magna frumenti copia vilissimo precio comparato, ad coloniam redditum.

Ex inde nova calamitas coloniam afflxit, plerisque ædificiis & bona annonæ parte, fortuito incendio absuntis: Sed ædificia mox pari diligentia restituta: *Pawhatanus* autem jam advenarum pertæsus, id unum agebat ut ipsorum arma clam ad se traheret, quo facilius ex insidiis illos posset opprimere: Smitho dolos barbari gnaviter odorante & pro virili contra satagente.

Sinus Chesapeack à Joanne Smitho lustratus.

SMITHVS interea otii impatiens, Sinum *Chesapeack* qui continentem recto in arctum tramite irrumpit, initio Junii anni c^{lo} I^oc VIII lustrare aggreditur, & flumen in exigua & aperta cymba cum quatuordecim comitibus descendit ad Promontorium usque *Henrici*; inde velis in orientem versis insulas adnavigat promontorio *Caroli* objectas & jam *Smithi* agnomine insignes: & mox promontorio illo superato, dextram sinus oram legens, *Acowmacke* regulum invisit, virum satis humum: solum hoc tractu fertile est, & incolae Pawhatanorum dialecto utuntur. Hinc egressus & primum insulas aliquot in medio sinus sitas conspicatus, flumen *Wigcomoco* subit, turbidum & cænosum; hoc prætervectum Promontorium exceptit, ubi stagnum dulcium aquarum repperit, verum ita calidum, ut balneum videretur: inde cursu inflexo insulas adit desertas, quibus *Limbis* nomen indidit; rursusque ad dextram oram reversus Kuskaranock invisit, insignem amnem: hic à variis populis accolitur, *Soraphanigis*, *Nausis*, *Arsecis*, *Nautaguakis*; qui quum mira ipsi narrassent de gente *Massawomekarum*, subiit ipsum cupidio hanc gentem investigandi; quumque hanc oram vadosiorem offendisset, ad sinistram trajicere visum; patet autem hīc in tantum sinus, ut à dextra ora præaltæ rupes quæ sinistræ incumbunt conspici neutquam possint. Deinceps sinistram oram ad triginta milliaria Aquilonem versus sequens, nullos ibidem incolas invenit: tota hæc ora dulcium aquarum scaturiginibus abundat, montes asperi & steriles sunt, valles autem amœnæ & fœcundæ, nemora densa & lupis, ursis, aliisque feris referta. Proximo sinui Boli nomen inditum, ob soli argillam bolum Armeniæ referentem; sinus etiamnum hic decem in latitudinem patet milliaria novem decemve orgyas altus. Adversis ventis hinc rejectus *xvi* Junii *Patawomekum* fluv. intravit, decem milliaria in ipso ostio latum; quem triginta circiter milliaria subiectus, quum nullos incolas inveniret, à duobus barbaris postremo *Onawmamentum* est deductus, ubi aliquot centuriæ barbarorum ex insidiis in illum eruperunt, qui diabolicum in modum erant deformati, verum sclopotorum metu, à noxa temperarunt, à Pawhatano oppidanis infesto, se in Anglorum perniciem concitatos confessi. Lustrarunt porro hoc flumen, ut metallum quoddam perquirerent, quo non exiguum argenti portionem contineri, à barbaris Neoportio persuasum fuerat; verum quum ad locum esset ventum, spe sua falsi recesserunt. Quum autem ad Toppahanock fluv. ostium pervenissent, duplex calamitas illos oppressit, nam & cymba in vada quæ faucibus objacent impingens hæsit, & Smithus pastinacæ venenato aculeo iictus magnum vitæ discrimen adiit, olei cuiusdam auxilio, quod fortuito secum duxerant, ægre servatus. Denique *Payankatakam* & *Pumaunken* flumina prætervectus, Kecouchtanum & mox Jacobipolim *xxi* Julii rediit.

In oppido non modo variis morbis, sed & gravibus discordiis laborabatur, Præsidis morositate atque imprudentia, adeo ut illum magistratu mouere & Smithum in illius locum surrogare necesse fuerit. Ille rebus compositis & vicario constituto, secundam expeditionem ad sinum penitus lustrandum suscipit & *Kecouchtan* solvens, summa celeritate ad Bolum fluv. sinistram oram stringendo pervenit: à quo paululum proiectus, sinum sese in quatuor veluti ramos spargere observat; quos lustrare aggressus & in primo atque secundo nullos incolas offendens, ad oppositum latus flectit, ubi septem octove lembos *Massawomekiorum* obvios habuit, qui Anglos cum summa admiratione contemplati, sese protinus in terram projecerunt, verum amice invitati ad cymbam illorum accesserunt & Smithum ferina, arcubus, sagittis & ursina pelle donarunt; & noctu se subduxerunt. Hinc ad *Tocwogiorum* flumen perventum, quibus quum persuasissent arcus & sagittas illas *Massawomekiis* vi erexitas (nam hi duo populi juges inimicitias exercent) humanissime ab iis fuerunt excepti. Hic secures, cultellos & ferri atque æris ramenta repererunt, quæ se à *Salsquehanokis* (summis *Massawomekiorum* hostibus) accepisse profitebantur: Ea gens quartum magni sinus ramum accolit, verum propter brevia & cataractas nullus cymbis ad ipsos patet aditus, itaque per nuncium acciti, venerunt sexaginta numero, ferinam,

ferinam, tabaccum, parmas, arcus, sagittas. vimineosque corbes, aliaque munera fermentes & Anglorum auxilium contra hostes suos implorantes. Mira autem narrabant de *Atquanahuckiis*, aliisque populis his vicinis, seque secures suas à Gallis redemisse testabantur. Atque hinc denuo, Pawtunxunto & Tappahanoko fluv. leviter in transcurso lustratis, vxi Septembribus Jacobipolin remearunt.

C A P . X X I .

Quæ porro ab Anglis in hac Virginie parte gesta.

1^o **V**E R E O R ne limites, quos primum in scribendo mihi proposueram, nimium egredi videar, itaque cæteras res gestas leviter perstringam. Anno proximo 1609. novum supplementum eodem Neoportio duce advenit, & regia dona Pawhatano destinata; quem & coronarunt, barbaro ad indumenta peregrina stupente, & ejusmodi ceremoniarum insueto; quibus rebus tamen magis efferatus est. Hinc studiose in metallorum venas inquisitum, sed frustra. Interea jam annonæ penuria in oppido laborabatur, quæ nimis parce pro multitudine, quæ jam ad ducentorum virorum numerum excreverat, ex Anglia erat subvecta, & insuper nautarum prodigalitate & negligentia multum imminuta: itaque ab indigenis nunc precario, nunc violenter commeatum petere & sumere aggressi, graves primum hospites, mox & 2^o hostes à barbaris sunt judicati. Pawhatanus interea omnibus modis satagens ipsorum arma ad se trahere, Germanos quosdam atque Polonus (qui nuper advenerant ut Anglos picis excoquendæ & saponarium cinerem exurendi rationes edocerent) ita pellexit, ut multos gladios aliaque arma furtim subducerent, & ad domum illius comportarent: sed quum dolus patuisset, insidiæ Regi frustra struxerunt, Anglique in apertum bellum cum barbaris eruperunt.

Veruntamen pace paulo post redintegrata, quum colonia jam respirasse atque adeo florere videretur, nova calamitas accessit, maxima parte frugum à gliribus adesa; neque ullum in barbaris præsidium erat, simili annonæ penuria laborantibus: itaque hac illac se dispargere, alii ostreis, alii glandibus, alii aliis fructibus ægre vi- 3^o tam tolerare; tanta & tam obstinata quorundam in hac necessitate desidia, ut non nisi à præside coacti vitæ adminicula conquererent; pauci tamen interierunt.

Quum autem jam in Anglia Senatui innotuisset, tam male inter colonos convenire, Baronem *de la Ware* cum summa potestate eo destinarunt: hic anno 1609. cix duos Equites *Thomam Gates* & *Georgium Sommerum* vice sua misit, donec ipse subsequeretur; verum hoc salutare consilium fors in contrarium vertit; navis enim quæ illos vehebat apud *Bermuden* fracta, ipsique ægre natando servati; cæteræ naves feliciter portum Virginie tenuerunt. Hic jam quidam ante Smitho infensi, Equitibus, penes quos summa rei erat, absentibus, omnia perturbare cœperunt, nec præsidi obsequi, neque quicquam recte per se agere, unde nonnulli in Angliam ab ipso remissi; alii cum colonis aliquot novas sedes quærere & duo oppidula condere aggressi; multi à barbaris cæsi, fruges corruptæ, aliaque damna accepta, supina dum ignorantia, qui incommoda loca oppidis ceperant & ne quidem à fluminis inundatione tuta: ad extrellum accessit Smithi infortunium, qui casu à pulvere tormentario misere ambustus, sanitatis recuperandæ gratia Angliam repetere coactus fuit.

Reliquerat Smithus in Virginia quadringentos & nonaginta colonos, annonæ abunde ad decem septimanias, naves majores tres, cymbas septem, viginti quatuor majora tormenta, trecentas bombardas, cæterumque apparatus bellicum: Sed annona jam pene absunta, dum subsidium à barbaris petunt, coloni aliquot à Pawhatani subditis occisi: & indigenæ in universum tantopere in Anglos exarserunt, ut ubi cunque facultas daretur, aut clam aut palam illos trucidarent: venerunt interea Equites qui ad Bermudā enatarant, & populi calamitatibus permoti, universos in Angliam reducere parabant, quum Baro *de la Ware* cum tribus navibus advenit: atque ita Jacobipolim ix Junii anno 1609. c x redditum. Ipse autem adversa valetudine tentatus, proximo anno in Angliam redire maturavit. Appulerat ante illius discessum *Thomas Dalias* eques cum colonis aliquot, armentis, cæterisque necessariis: & non

1610.

multo post illum *Thomas Gatus* cum trecentis colonis & pecore. Status oppidi compositus, & arx juxta *Henrici* promontorium ædificata: aliud præterea oppidum supra *Jacobipolin* octuaginta circiter milliaria loco edito & opportuno, quod *Henricopolin* appellarunt, & municipium infra oppidum quinque milliaria, *Bermudæ* nomine.

Rebus in Virginia ita compositis, pluribusque subinde colonis missis & terum summa in Anglia ad Comitem Suyth Hamtoniæ delata, absolutam Reipublicæ formam Virginia tandem accepit. Verum odia barbarorum in advenas jam sibi graves magis magisque accensa, in summam crudelitatem tandem eruperunt; quippe anno ¹⁰ cīc Iɔ c xxi ex insidiis Anglos hac illac sparsos, nihilque tale metuentes, adorti, supra trecentos & quadraginta, qua viros qua fœminas & pueros immaniter trucidarunt; Jacobipolin ipsam aggressuri, nisi ipsorum conatus mature à barbaro quodam, qui Christiana sacra suscepere, præfecto fuissent revelati: Insigni documento barbarorum ingenii parum fidendum esse etiam quum maxime blandiuntur. Atque hæc obiter, quæ Anglorum historiæ copiosius loquentur; jam ad reliqua Virginianæ transeamus.

C A P. XXII.

*Virginia à VValthero Ralegho primum detecta: Terre
fructus & animalia.*

20


RESTAT jam altera & maxime Australis Virginianæ pars, unde nomen ad cæteras partes fluxit: hæc primum à fortissimo Equite *Walthero Ralegho* anno ¹¹ cīc LXXXIV detecta & in honorem Serenissimæ Reginæ Virginis Elisabethæ *Virginia* nuncupata, à trigesimo Austrum versus sexto gradu porrigitur. Aëris temperie & cœli solique bonitate cæteris par; nisi quod solis periodo vicinior ideoque & calidior. Hujus regionis situs, variæque dotes copiose à *Thoma Heriotto* Anglo fuerunt descriptæ, è cuius commentariis peculiaria quædam breviter referemus. Inter quæ primum locum flagitant quæ ad vitæ humanæ usum sunt comparata. ³⁰

Maizium indicum, quod Virginianæ *Pagato* vocant, hic uberrime nascitur, & grana modo rubra modo flava, modo mixti coloris & elegantissime variegata producit, in sex septemve interdum & decem pedum altitudinem assurgens & spicas tres quatuorve, nonnumquam tamen & unam tantum, ferens, quingentis, sexcentis & quum uberrima messis est septingentis granis onustas, singulari soli luxuriantis indicio. Phaseoli deinde mira colorum varietate, quos suo idiomate *Okindgier* vocant, forma à nostratis minime diversos, caulis & folia nonnihil variant; saporis suavitate nostrates fere superant. His accedunt pisa, illis *VVickonZour*, nostratis quidem minora, sed longè gratiore sapore.

Macocquer ipsorum nostris peponibus, melonibus aut cucurbitis fere similes ⁴⁰ sunt, gratissimi saporis & magna formarum varietate. Clariss. vir *Carolus Clusius* descriptionem & iconem dedit lib. II. Exoticorum cap. II. fructus è Virginia allati, quem ipsorum *Macocquer* existimat, quam hic inserere operæ precium visum. Erat ["] (inquit) prorsus orbiculari forma, quatuor unciarum diametro, cortice duro præditus, foris lævi & subfusco, interne nigra membranâ inducto, per quam sparsæ quædam fibræ à pediculo ad summum: continebat vero pulpam nigram (quia non recens sed siccus & vetustus) acidique & quodammodo falsi saporis, in qua plurima grana involuta, subfusci coloris plana & cordis (ut vulgo pingitur) formam referentia, medulla albicante prædita. Quum porro hic fructus ex Virginia allatus esse dicatur, facile mihi persuaderi sinam illum esse, quem ejus regionis incolæ *Macocquer* ⁵⁰ appellant & (magno aliquo periculo liberati, vel bello defuncti, in lætitia signum, structo igni assidentes) pulpa seminibusque exemptis, implet lapillis aut crassioribus quibusdam granis, ut majorem strepitum agitatus & commotus edat, bacilloque aptantes manu tenent, perinde ac Brasiliani suum Tamaraca, sed nullis pennis ornant. Integrum autem fructum & per medium sectum, in hac tabella exprimendum curabam. Hæc ille.

Vereor


10




Vereor autem ne Clariss. vir. opinione sua h̄c falsis fuerit, & ipsorum Macocquer potius sit pepo, varia formarum varietate in illis regionibus ludens, uti è seminibus ad nos allatis & hic enatis jam à multis annis videre fuit. Idem Clariss. vir & alterius fructus iconem exhibit, quem *Lobum e Wingandecaw* vocat & ex lib. 3. c. 3. hac Virginiae parte allatum fuisse testatur; cuius similes quum aliquot è novo Belgio nostro accepissem, iconem unius insignioris hic exprimendam curavi ea forma & mole qua erat (licet interdum duplo & triplo maiores ibidem & in vicinis provinciis nascantur.)

30

40



Erat autem hic Lobus sex uncias longus & supra tres latus, crassus validoque & pene ligneo cortice, foris quidem coloris qualis est castanearum aut paulo obscurioris, interius cinericei, exteriori superficie maximam partem valde scabra: continens fungosam quandam pulpam cinericei coloris, pinguem, & tam aedi atque adeo ingrati odoris ut nares offenderet; in qua latebant septem phaseoli (ut ita dicam) ea mole & forma, qua unum illorum juxta ipsum Lobum exprimendum curavimus, duro itidem cortice & obscuro rubente, testi & album nucleum continentis amygdalæ vel avellanæ sapore. Horum phaseolorum aliquot quum anno cIc Ic xxxi sub veris ingressum terræ mandassem, tres omnino ex iis prodierunt plantæ ea forma quam infra expressimus; an autem herba tantum sit, an vero frutex qui tandem veluti arborescat: mihi nondum constat, certe fructus aliquid arborei præ se fert, & caulinulus hujus plantæ licet adhuc teneræ & nuper natæ jam lignescere videtur, sed vereor ne hyemem nostram ferre possit.



10

20

Præter has & alias herbas; etiam radices edules sponte hic proveniunt; imprimis quas indigenæ *Openawk* vocant, rotundæ, juglandi nuci magnitudine pares, interdum & multo majores; nascuntur humidis & paludosis locis, plures inter se cohærentes & veluti funiculo colligatae; in aqua coctæ, aut igne tostæ, boni sunt alimenti. Diversæ ob hisce sunt *Okeepenauk*, quæ siccis locis gaudent, orbiculari forma, & capitis 3° interdum humani mole, recentes & uti è terra eruuntur manducant (propter siccitatem quippe assari aut elixari nequeunt) saporis suavitate prioribus haud quaquam pares, quare non nisi in summa necessitate illas in cibos adhibent, aut interdum varietatis gratia; concoctu alioquin non minus faciles, quam panes silaginei.

Kaistucpenauk radix candida, ovi gallinæ forma & magnitudine, sed ingratiioris saporis, licet indigenæ etiam hac vescantur.

Sunt & radices hîc non multum dissimiles illis, quas officinæ radices Chinæ appellant & forte ejusdem speciei, plures simul connexæ, caules moliuntur *Cynosbato* similes, (sed folia plurimum discrepant) qui arboribus contigui, eas arcte complecti, & ad summum usque fastigium eniti solent; *Tsinaw* nomen ab Anglis ob similitudinem illis radicibus impositum; ex recentibus in frustra concisis & contusis, & succo una cum aqua expresso, fit panis; ex ebullitis vero jusculum haud ingrati saporis, præsertim si oleum admisceatur.

Cofcushaw indigenis, Anglis ob similitudinem *Tuca*, humidis & cæniosis locis delectatur: ex hac barbari suo more panem conficiunt & pultem grati admodum & suavis saporis, qua plurimum utuntur. Recentum succus venenosus, ideoque sedulo exprimentis, antequam pulpa in usum adhibeatur; ad solem itaque aut ignem, detracta cute, prius exsiccantur, dein in farinam rediguntur, è qua panes coquuntur. aut etiam recentes & virides purgantur, in frusta conciduntur, contundunturque & pastilli ex illis fiunt, qui tantisper ad ignem torrentur, donec arescant; quibus 5° rursus in pollinem redactis, ad panes & pulmenta utuntur.

Habafon radix est calida, pastinacæ forma & magnitudine, per se sola quidem minime edulis, cum aliis vero cibis cocta haud inutilis.

Quin etiam allia multis locis sponte nascuntur, Europæis haud multum dissimilia, sed indigenæ illis minime utuntur, Angli vero se crebro ea usurpasse testantur. Hactenus de radicibus, nunc & de arborum fructibus dicendum.

Casta.

Castanearum hic variis locis ingens copia: nèc non nucum integræ sylvæ, quarum aliæ fructus ferunt nostratis sapore & magnitudine æquales, putaminum duritie & crassitie superantes: aliæ longe majores, lignosissimo putamine & scabro, nucleo vero grandi, dulci & valde oleoso. Sunt & aliæ arbores quæ fructus ferunt, quos Angli à similitudine mespyla vocant, nam & ample latoque sunt umbelico, minime edules antequam mollescant, colore tamen magis ad cerasa accedunt, uti & sapore, licet ita suavi ut fere insipidus videatur. Ficus indica, quæ Tunæ in Nova Hispania dicitur, hic ab Indigenis *Muttaquesunnauck* appellatur. Mori, mala sylvestria, pluresque arbores Europæis similes. Quinque denique glandium species ab Anglis 10 observatæ; quarum primam *Sagatemener*: secundam *Osamener*: tertiam *Punninckner*: quartam *Sapummener*: quintam denique *Mangummenauck* suo idiomate appellant barbari: harum tres priores craticulis arundineis impositas lento igne siccant, ut melius serventur; deinde ubi illis uti liber, aqua macerant & ebulliunt: ex iisdem & oleum admodum dulce exprimunt. Tertia vero cocta in aqua, dein expressa, castanearum saporem æmulatur, unde & panes nonnumquam ex illa conficiunt; quartam speciem inter ignobiles cibos deputant, iisque fere mancipia sua nutriunt.

Quadrupedum variorum ingens hic copia, præsertim Cervorum; quorum ii qui juxta littora vagantur, pabuli inopia, minores sunt Europæis; in interioribus provinciis, longe majores; cæterum nostris plane similes, nisi quod caudas habeant 20 longiores & cornua versus cervicem magis incurventur. Cuniculorum itidem, qui ut plurimum cinerei sunt coloris instar leporum, ingens numerus, ita ut incolæ in plerisque provinciis, è pellibus illorum sibi chlamydes consuant. *Saquenuckot* & *Maquo woc* cuniculis haud multum dissimiles, sed majores & gratissimi nutrimenti. Sciuri colore fere sunt cinereo; ursi nigro, quos captos indigenæ comedunt uti & leones & similes feras.

Avium præter notissimas, gallopavos nimirum, palumbes, perdices, grues, ardeas, cygnos & anseres, supra octuaginta diversas species, quæ sylvas; & septuaginta quæ littora, stagna atque paludes accolunt, à se observatas, testatur *Heriottus*: Neque minor piscium abundantia, puta accipenserum, Februario, Martio & Aprili: 30 Halecum qui magnitudine nostrates longe superant, interdum duos palmos longi: quibus accedunt Truthæ, Tursiones, Rajæ, mugiles, passeræ aliquæ quamplurimi humanis usibus apti: Cancri quinetiam & ostrea multiformia, musculi, astaci, cochleæ marinæ. Denique crustacei generis pisces qui ab indigenis *Seeckanauck* vocantur & toto hoc littore ad fines usque *Nova Francia* frequentes visuntur: præsertim juxta brevia & vada; formam jam exhibuimus.

C A P . XXIII.

De iis quæ hæc Virginie pars fert commerciis apta & de moribus Gentis.

40

PRÆTER ea quæ ad viatum necessaria sunt, solum hoc etiam sponte producit, aut occultat multa, quæ utilitatem in commerciis adferre possunt. Inter ea primo loco ab Anglis recensetur graminis species, longis foliis & angustis, quorum superficies membranula quadam tenui & splendenti inducta est, qua demta, pro serico se usos testantur, unde & serici nomen gramiñi indiderunt. De iis quæ hic seri aut coli possent, non necesse est dicere, nam quum solum admodum fertile sit, non est dubium quin sata ingenti fænore sit redditum, si rite coleretur. Vena autem terræ, haud longe à littore, quadraginta aut quinquaginta milliar. in longitudinem porrigitur, è qua optimum alumen confici posset, uti à peritis illius artis observatum 50 volunt: Eadem vena & calchantum, nitrum, alumen plumeum (ita vocat author) forte scissile, subministrat, verum non tanta copia, quanta alumen, nec tantæ utilitatis: variis in locis reperitur gleba quædam terræ, quam vulgo sigillatam vocant, omnino similis, notæque virtutis, tum apud ipsos indigenas, qui illam *Wapergh* vocant atque ad vulnera juxta ulcera sananda adhibent, tum etiam apud Anglos qui illius experimentum ceperunt. Arbores quæ picem, resinam, terebinthinam & similes succos fundunt, quum hic infinitæ pene sint, non dubium est quin labore

atque industria colonorum ingens harum mercium copia patari posset. Sassafras indigenis *Winauck*, hic passim reperitur. Ingentia nemora, cedrina ligna optimi odoris & ad fabrilia opera aptissima subministrant: vites quæ hic innumeræ, largam vendemiam promittunt si cultura accederet: denique ad oleum maxima copia è juglandibus exprimentur non nisi opera humana desideratur.

Præsens etiam emolumentum sperari potest è pellibus lutarum, quæ juxta littora degunt magno numero; neque vero absimile etiam lynxes hic reperiuntur aliaque animalia quæ laudatores pelles ferunt. Cervina autem tergora tum cruda, tum rupicaprarum pellum in modum præparata maximo numero ab indigenis vilium mercium commutatione quotannis redimi possunt. Hyænam veteribus (ut vult Bello-nius) recentioribus *Civettam*, Africæ perfamiliare animal, etiam hic à se observatum Angli testantur, penes quos fides sit.

Metallorum haud levia indicia deprehensa: Ferri quidem duobus in locis, octuaginta aut centum milliar. ab eo loco quem Angli coloniæ suæ elegerant; nec procul à littore rupes multæ quæ venas ferri magnis indicis promittunt; è quibus, ut magnum emolumentum sperari possit, facit lignorum copia & operarum vilitas. Æris autem & argenti metalla in mediterraneis reperiuntur constans fama est, nec obscura indicia, licet certa in hunc diem fides vacillet. Margaritæ seu uniones penes indigenas repertæ, verum an hic natæ, dubium est. Tincturæ variae, præter *Rhus* coriariorum Europæis notissimum, ex herba enim quam *Waselbur* vocant; & tenuibus radicibus *Chappacor*, & cortice arboris *Tangomocqueminge*, indigenæ diversos colores rubros excoquunt.

Barbari harum regionum indigenæ, satis eleganti sunt forma, comam alunt tam viri quam foeminae: mares autem & maxime proceres, à fronte per medium verticem ad cervicem usque capillos cristæ in modum attrondent: pelle cervina aut alterius feræ exuvias ab umbelico ad genua demissis, pudenda velant; cætera nudi agunt, aut levi chlamyde ex pellibus ferarum humeris circumjecta, pallia nostratium æmulantur & varias corporis partes punctilis & notulis quibusdam persignant ut formosiores videantur. Arma ipsorum sunt arcus è corylo, sagittæ ex arundinibus, & pali lignei plani duos cubitos longi: Scutis è corticibus aut bacillis barbara industria con-sutis se tegunt, nulla ferri notitia.

Pagi ipsorum exigui & pauci juxta littus: decem, duodecim, etiam viginti; & qui amplissimi triginta domiciliis constant, nec nisi palis ligneis in orbem terræ infixis adversus hostium incursus septi. Ædes suas ex ramis & perticis in fornicem flexis & in fastigio colligatis, pergularum in modum factas, aut arborum corticibus aut storeis quibusdam artificiose contextis à summo ad imum tegunt: longitudo plerumque latitudine duplo maior nunc duodecim, nunc sedecim interdum & viginti decempedarum spatium complectitur.

Satrapas suos sive regulos vocant *Weroans*, ii interdum unum interdum plures pagos regunt; qui tum quum Angli hic appellerent, inter illos potentissimus judicabatur, decem & octo pagis imperabat. Suum cuique præfecturæ idioma. & quo majori intervallo à se invicem discretæ, eo magis variant idiomata ipsorum.

Bella inter se magis ex insidiis quam aperto marte gerunt; & hostes suos plerumque sub crepusculo aut noctu splendente luna inopinantes conantur opprimere. Disciplina magis & vario instrumentorum apparatu; quam ingenio aut industria de-stituuntur.

Multos quidem Deos, certis gradibus & ordinibus distinctos, quos *Mentoac* appellant, superstitiose colunt, ita tamen ut unius summi atque æterni Dei licet admodum levis cognitio haud plane ex animis illorum deleta videatur; à quo per minores atque ab ipso creatos Deos atque semideos; & mundum hunc creatum & hæc tenus gubernari fatentur. Aquam inter elementa; foeminam inter mortales primo creatam, & ex divino semine propagasse totum humanum genus. Quot secula à mundi creatione fluxerint non magis norunt, quam litteras aut alias notas quibus horum memoria conservatur: omnis rerum memoria traditione parentum ad liberos propagatur. Numina sua uti humanis corporibus prædicta credunt, ita simulacris quibusdam quæ *Kewafoack* vocant venerantur. Sacraria quædam templorum in modum illis

illis consecrant , quæ *Machicomuck* nominant , in iis precantur , canunt & varia dona offerunt: habent & sacerdotes suos , magicarum artium haud imperitos , qui in rebus dubiis dæmones consulunt , & fœdis gesticulationibus artuumque præter naturæ modum contorsione misero popello metum incutiunt & venerationem sui extorquent . Animarum immortalitatem agnoscunt , easque à corpore solutas aut ad beatas divorum sedes , aut ad ardentem puteum in extremis terræ versus occidentem oris (*popogusso* vocant ipsi) deferri opinantur . In furta adulteriaque & similia criminâ verberibus , interdum etiam mortis supplicio animadvertunt .

C A P . XXIV .

¹⁰
De primis Anglorum expeditionibus in hanc continentis partem ad annum usque cīc lxxxvi .

PRIMA (quod quidem constat) in hanc Americæ partem , navigatio suscepta fuit anno cīc lxxxiv , auspicis Reginæ Angliæ & impensis *VValtheri Raleghi* , ^{1584.} cum duabus celocibus sub præfecto *Philippo Amadasio* : Qui xxvii Aprilis ab occidentali Angliæ ora solvens , primum decimo May Canarias insulas tenuit , & deinceps decimo Junii Insulas Americanas , à quibus cursu versus Corum reflexo , quarto Julii terram conspexit , ejusq; oram legit circiter milliar . cxx antequam portum ullum deprehenderet : sed illo denique invento , anchoræ jactæ , haud longe à terra ; quam exscensione facta , Coronæ Angliæ habendam & possidendam consuetis ceremoniis vindicarunt . Erat autem humilis & arenosa juxta littus vitibus passim vestita , quæ ad fastigia arborum enitebantur : interius in colles modicos consurgens , è quorum jugis mare undiquaque ambiens conspicati , insulam esse didicerunt , barbaris *VVokokon* dictam : viginti milliar . Angl . in longitudinem patet , vix septem in latitudinem ; pulcher . ^{Woko-kon. Insula.} primo cedrorum luco opaca , in quo infinita alborum gruum & aliarum avium copia visebatur , nec minor ferarum . Tertio demum die , tres barbari qui juxta degebant , ad illos venerunt , pisces dono afferentes : postero item mane plurimi alii cum *Grangimeo* Reguli *VVingina* germano : Provinciam universam vocari afferebant *VVingando-coam* , Angli ad honorem Reginæ suæ Virginis , *Virginiam* dixerunt . Atque hic ab indigenis pelles rupicaprarum , alcium , cervorum , permutatione acceperunt . Reguli frater haud multo post ad illos rediit , & naves quoque adiit cum uxore & liberis : ipsa quidem decenter barbarum in modum erat ornata , ferto alborum corallorum capillos redimita ; ab auriculis funiculi , vilium margaritarum ad umbelicum usque dependebant , ille autem incomtior æneam tantum lamellam supra verticem gestabat .

Erant hi barbari colore fusco , nigris crinibus , quos foeminæ quidem utrimque , mares vero ab uno tantum latere promittunt . Lintres illorum unilignei è truncis arborum excavati , ad cæterorum Americanorum modum .

Septem ab hac statione milliar . altera insula continenti objacet , *Raonoack* bar-
^{Raono-}
40 baris , quam *Granginimeus* habitabat ; ex adverso fluvius *Occam* elabitur , procul è con-^{ack In-}
tinenti ut ferunt descendens , cuius ripis adsidet pagus *Pomeiock* : sex autem dierum iti-
nere adverso flumine , maximum oppidum *Skicoack* jacere , barbari à majoribus se ac-
cepisse narrabant , nullo tum superstite qui illud vidisset . In hoc flumen amnis *Cipo* de-
scendit , margaritarum , ut produnt , ferax : itemque *Nompano* cuius ripæ vicus *Chawa-*
noack adsidet , *Poneno* parens : huic vicinus est regulus *Menatonon* : Erantque eo tempore
tres reguli isti *Wingina* , *Menatonon* & *Poneno* confederati . Quatridui itinere versus
Africum *Sequotan* pagus jacebat australis *Wingandocoæ* limes . Illi contermina erat
Pomonick aut *Pananvioc* sub regulo *Piamoco* , & ad favonium *Nenstock* secundum ripas
pulcherrimi amnis *Neüs* . Citra *Raonoack* plures insulæ cum suis pagis continenti ad-
50 jacent . Tota enim ora crebris insulis adducenta & plura mill . angl . obsidetur , quæ
fretò mediterraneo , nonnusquam quadraginta millaria lato , à Continente dividuntur .
Septébri deniq; Angli cum duobus barbaris *VVanchete* & *Manleo* in patriam redierunt .

Anno cīc lxxxv mense Aprili secunda expeditio fuit suscepta , cum septem ^{1585.}
navigiis præfecto *Richardo Greenvillo* ; qui nono ejusdem Pleymutha discedens , deci-
moquarto Canarias , septimo May *Dominicam* , decimo *Cotesam* parvam sub portu Ri-
co insulam attigit : & duodecimo sinum Mosquitorum ad insulam S. Joannis intravit :
Deinde Hispaniola obiter adita & xx demum Junii Florida eminus conspecta ; xxii
ancho-

1586.

anchoræ jactæ pone promontorium, quod ob discrimen ibidem aditum, *Timoris cornu* dixerunt: inde xxvi *VVokokon* delatis, negligentia nautarum Ammiralii navis fracta periit: hic *VVingina* è *Roanoack* ad se vocato, Continentem petierunt, ibidemque lustrarunt *Pomejock*, *Aquascogoc* & *Sequotan* pagos & *Paquipe* lacum: Denique Sequotanorum pago, quia argenteum calicem furto ablatum reddere abnuebant, flamnis absumto, & multis barbarorum cæsis ad naves remearunt. Porro ad *Roanoack* cxi incoluerunt & à *Francisco Draco* in patriam sunt reducti. *VVingina* ante, qui jam advenarum uti videtur pertæsus clam in exitium illorum conspirasse compertus erat, cum plurimis suorum cæso.

Lustraverant autem hi versus austrum quidem ad *Sequotan* usque, lxxx circiter mill. à *Roanoack*, per fretum admodum latum, sed vadis impeditum. Versus Septentriones vero ad *Chesapeanorum* terras, imprimis amœnas; (sunt autem hi divisi in *Mandoagios*, *Tripanigos*, atque *Opoſſianos*:) versus Corum denique ad *Chawanoock* cxxx milliar. ab insula, per latum fretum & satis altum.

10

C A P. XXV.


Reliqua gestorum ad annum cxi ixc.

Rælegus eorum quæ in Virginia gesta erant ignarus, navem submiserat cum supplemento colonorum & annona; quæ quum portum quidem tenuisset, sed colonos jam in Angliam decessisse intelligeret, re infecta rediit: Similis & Greenilli fortuna fuit, nisi quod quindecim suorum apud *Roanoack* exposuit, ut provinciæ possessionem continuarent.

1587.

Anno dein cxi lxxxvii *Ioannes VVithus*, à Ralegho missus ad novam coloniam deducendam, cum cl qua viris qua fœminis. Hic quum xxvii Julii *Hatoraskum* appulisset, quindecim illos superiori anno in *Roanoack* relictos statim quæsivit; verum nullum ne vestigium quidem ipsorum deprehendit; sed ipsum munimentum quod Lanius ad septentrionale insulæ latus construxerat, plane desertum, vallo disiecto & solo æquato; tuguria squallida & jam herbis fruticibusque opera: quæ statim repurgavit & nova aliquot adjecit. Deinde *Croatoan* petiit & jam de cæde illorum xv certior, dum vindictam in *Dacamonquepukios* qui cædis authores habebantur, molitur, plures sociorum atque innocentes occidit. Gravi autem discordia inter colonos levem ob causam ortâ, *VVithus* in Angliam rediit, xc i viris, xvii fœminis & xi pueris ibidec relictis.

Non invenio aliquam horum rationem habitam ante annum cxi ixc, quo demum Raleghus pro ea qua in aula pollebat autoritate, perfecit, ut Classis alio destinata, *Withum* ad colonos suos reduceret: verum hæc diutius inter insulas Americae vagata, mense demum Augusto *VVokokon* attigit, xxxiv gradus (ut tum observatum) ab Æquatore: exinde & *Croatoan* boreale latus quinque & triginta gradib. & semisse ab æquatore: denique xv Augusti *Hatoraskum* insulam xxx vi gradib. & xx scrupulis ab æquatore. Verum quum *Withum* non sine discrimine & unius cymbæ jactura in insulam exposuissent: Illa quaqua patet diligenter lustrata, nullus colonorum superstes fuit inventus: Convenerat inter ipsum & colonos quum ab ipsis discederet, ut si ipso absente sedes mutare cogerentur, nomen loci quem peterent, in cortice arboris notarent, cruce addita si forte periclitarentur: quare quum in arbore quadam CRO elegantibus Romanis literis incisum absque Cruce offendisset *VVithus*, suspicari cœpit, colonos in *Croatoam* ultro commigrasse: verumtamen & hic oppiduli vallum quidem integrum sed ædes disiectæ, ferri aliquot frusta, multaque alia ponderosa hac illac dispersa, cistæ denique è latebris productæ, & à barbaris spoliatae, triste colonorum excidium aut præproperam fugam certo arguebant. Itaque *VVithus*, licet obnixe id contenderet, à classiariis neutquam obtinere potuit, ut tantisper ibidem hærerent, donec & *Croatoan* perlustraret. Ab eo tempore non reperio Colonos hosce ab alio quoquam quæsitos, antequam novæ coloniæ in alteram Virginiam partem, deductæ fuerunt: nec quid illis factum sit in hunc diem, quod quidem sciam, constat.



FLORIDA,
et
REGIONES VICINAE.

